PRINCIPIA,

ET

CONCLUSIONES

DE

LICENTIA ACTIONUM MORALIUM,

ET

USU PROBABILIS OPINIONIS,

Quibus

Oſtenditur, non eſſe licitum ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliore, &c.

AUCTORE

P. ADAMO EHRENTREICH
SOCIETATIS JESU,
Sacræ Theologiæ Doctore, & in Univerſitate Oenipontana nuper Profeſſore Ordinario.

Cum inſertione omnium Propoſitionum damnatarum &c.

EDITIO SEXTA.

Pertinet ad Bibliothecam S. Petri in Monte Au=[redacted] reo Urbis

ROMÆ, M DC XCIX.
Typis Lucæ Antonii Chracas, prope Curiam INNOCENTIANAM.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Sac. Apoſt. Palatij Magiſtro.

Dominicus B. de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſg.

Reimprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGICA.

LUcubratio hæc Theologica à Recto *Fidei*, ac *Morum* Tramite non tantùm nullibi aberrat, ſed Auctoris ſui *Principia & Concluſiones de Licentia Actionum Moralium*, & *Opinionum Probabilium Uſu*, breviter, clarè, ac ſolidè declarando, omnibus per anguſtam Portam in Regnum Cœlorum intrare contendentibus, tutiſsimam Salutis viam fideliſsimè demonſtrat, Unde dignam cenſeo, quæ in lucem prodeat publicam.

Joann. Bapt. Halden. è Soc. Jesu Sac. Theologiæ Doct. & Prof. Ordin. loco Decani Sacræ Facultatis.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

VAſtiſſimam materiam in paucas pagellas redigo, quòd ſciam, prolixitatem, quamvis accuratum Scribentis ſtudiũ eximiè commendet, fructum tamen apud quàm plurimos impedire: ut qui magnos libros aut legere nolint, aut per negotia non poſſint. Cùm igitur, quæ de licentia actionum moralium, & de uſu probabilis opinionis notitia eſt, ſit omnibus ſummè neceſſaria, brevis eſſe volo, ut in tradenda ſolida doctrina multis proſim.

PRIN-

PRINCIPIUM I.

AD omnem actionem moralem præcedere debet judicium, quo actio judicetur eſſe licita, vel judicetur eſſe illicita. Ratio eſt quia ad omnem actionem moralem præcedere debet conſcientia, ſive recta & vera, ſive erronea & falſa. &c. ſed conſcientia nihil aliud eſt, quàm *actus intellectus practici judicantis aliquid hic & nunc eſſe agendum tanquam honeſtum; vel fugiendum tanquam inhoneſtum. Laym. l.1. c.2. n.1.* ergo evidens eſt, ad omnem actionem moralem requiri prædictum judicium; quod communiter etiam vocari ſolet dictamen conſcientiæ.

Et quia conſcientia poteſt eſſe ſpeculativè falſa, licèt practicè ſit vera, ut apud Laym. c.3. n.1. habes: conſequens eſt, conſcientiam non tantùm judicare de honeſtate, vel inhoneſtate actionis formali, ſed etiam de honeſtate, vel inhoneſtate materiali. Patet clarè: quia evidenter implicat, ut agens ex conſcientia practicè vera, agat *formaliter* inhoneſtè; nam ex tali conſcientia agere, eſt agere ſecundùm ipſam regulam honeſtæ actionis, ut l. c. potes legere.

Ut ergo conſcientia, quæ practicè eſt vera, ſit, vel poſſit eſſe ſpeculativè falſa, neceſſarium eſt, dicere, quòd etiam de honeſtate, vel inhoneſtate materiali judicet; ſic enim circa hanc aberrando erit ſpeculativè falſa. Exemplum ponit cit. Auctor in Patriarcha Jacob, qui accedens ad Liam, habuit conſcientiam ſpeculativè falſam, & practicè veram. ſpeculativè falſam: quia honeſtas materialis, quam judicabat in illo acceſſu dari, non dabatur. practicè veram: quia formaliter, & in ordine ad contrahendam culpam, in ſuo judicio non errabat; judicaverat enim, quòd in illis circumſtantiis judicandum erat: qui autem judicat, quod hìc & nunc judicandum eſt, formaliter non peccat; licèt materialiter fallatur, ut per ſe clarum eſt. Ex quo vides, quòd conſcientia, ſive judicium & dictamen ultimum practicum ex eo formalem ſuam honeſtatem habeat, quòd, adhibita debita diligentia, de materiali honeſtate judicet, ſicut de illa hìc & nunc prudenter judicandum eſt: debet ergo de materiali honeſtate judicare.

Quod etiam ulteriùs patet ex conſcientia invincibiliter erronea. nam hæc non eſt erronea practicè, & formaliter, quaſi honeſtas formalis, & inimputabilitas, quam judicat dari, non daretur: ſe-

ſequens enim hanc conſcientiam inculpabilis eſt; & foret culpabilis, ſi non ſequeretur: ergo eſt erronea, quia errat circa honeſtatem materialem; ergo de illa judicat. non enim judicium aliquod ex eo erroneum eſt, quòd non detur id, de quo ipſum non judicat. ſicut meum judicium, ſi nihil affirmet de ſaltu Turcę, non erit ex eo erroneum, quòd Turca non ſaltet.

Confirm. 1. Quia adhiberi debet moralis diligentia, ad comparandam ſibi notitiam honeſtatis, vel inhoneſtatis materialis: qui enim, hac diligentia prętermiſſa, operaretur, peccaret vel ob ignorantiam craſſam, & affectatam; vel ob culpabilem negligentiam, qua ſe expoſuiſſet periculo materialis tranſgreſſionis; ergo debet judicari de honeſtate, vel inhoneſtate materiali. nam hæc ipſa notitia, judicium eſt; cùm utique cognoſcere, aliquid re ipſa, & materialiter eſſe licitum, non ſit aliud, quàm judicare, illud re ipſa, & materialiter eſſe licitum.

Confirm. 2. Auctores quidam requirebant conſcientiam certam: & hoc aliis videbatur nimium; eò quòd in rebus moralibus vix haberi poſſit certitudo, & ſic rariſſimè operari liceret: hoc autem prorſus non eſſet nimium, ſi conſcientia tan-

tûm deberet judicare de honeſtate formali; de hac enim adeò dubium non eſt, quòd debeat haberi certitudo, ut plurimi etiam requirant evidentiam: ergo conſcientia, ſive dictamen ultimum debet etiam judicare de honeſtate, vel inhoneſtate materiali.

Dices. Te libenter admittere, quòd debeat præcedere judicium directum de honeſtate, vel inhoneſtate materiali; illud tamen judicium non eſſe conſcientiam, ſive dictamen ultimum, ſed quoddam anterius, & remotum. Sum optimè contentus. neque enim jam refert, an iſtud judicium identifices cum conſcientia, quod Auctores, ut ex dictis facilè conſtare poteſt, fecerunt; ſive illud à conſcientia diſtinguas. Hoc igitur inter nos conventum ſit: *ad actionem moralem neceſſarium eſſe judicium, quo etiam de honeſtate, vel inhoneſtate materiali, & objectiva judicetur.*

PRINCIPIUM II.

JUDICARE, *probabile eſſe*, quòd actio ſecundùm ſe, & materialiter ſit honeſta, nondum eſt judicare, quòd actio ſecundùm ſe, & materialiter *ſit* honeſta. Patet 1. quia *eſſe*, & *probabile eſſe, quòd ſit*, ſunt duo prorſus diverſa. nam poteſt eſſe

eſſe probabile, quòd Petrus ſit pius, non tamen ſtatim hoc ipſo eſt pius; ergo etiam judicare, probabile eſſe, quòd aliquid ſit, nondum eſt judicare, quòd ſit. ſæpe enim judicamus, probabile eſſe, quòd v.g. victoria aliqua ſit obtenta, quin hoc ipſo judicemus, illam eſſe obtentam: immo ſępe contrarium judicamus. & nihil eſt frequentius apud Doctores, quam judicare, & fateri, aliquam ſententiam eſſe probabilem, ſive, probabile eſſe, quòd ſit illud, quod à tali ſententia aſſeritur; & tamen judicare, illam eſſe falſam, ſive, non eſſe id, quod à tali ſententia aſſeritur. Laym. c.5. §.2. n.5. Patet 2. quia judicium, quo aliquis judicat, probabile eſſe, quòd aliqua actio ſecundùm ſe, & materialiter ſit honeſta, eſt judicium evidens: evidenter enim cognoſcit probabilitatem rationum, quam per hoc ſuum judicium affirmat: judicium verò, quo aliquis judicat, eſſe id, quod probabile eſt, eſſe, tantùm opinativum eſt judicium; ergo judicare, probabile eſſe, quòd aliquid ſit, & judicare, quòd ſit, non ſunt idem.

PRINCIPIUM III.

NON poteſt ab eodem ſimul judicari, actionem aliquam hìc & nunc eſſe materialiter honeſtam, & eſſe materiali-

rialiter inhoneſtam; quantumvis rationes occurrant pro utraque parte, Ratio eſt. quia evidens eſt, idem non poſſe ſimul eſſe, & non eſſe; ergo evidens eſt, non poſſe (niſi quis delirare velit) iudicari, quòd ſimul ſit, & non ſit; ergo actio, quæ judicatur hìc & nunc materialiter honeſta, non poteſt, ſtante hoc judicio, ſimul judicari materialiter inhoneſta. Rationes ergo in utramque partem occurrentes ſolùm hoc efficient, ut judicetur; *probabile eſſe*, quòd detur v.g. honeſtas materialis, & *probabile eſſe*, quod non detur. hoc autem non eſt judicare de re, ſive, quòd detur honeſtas materialis; ſed tantùm eſt judicare de probabilitate rationum; ergo de ipſa honeſtate materiali non poteſt operans ſimul judicare, quòd detur, & quòd non detur. Laym. n.5. cit.

PRINCIPIUM IV.

LIcèt omnis ratio probabilis inducere poſſit, abſolutè loquendo, ad judicandum, quòd detur res, v.g. honeſtas materialis, quam affirmat dari; non tamen id poteſt in omni intellectu. ſi enim tibi oppoſitum videatur probabilius, ob majora ſcil. rationum momenta; licèt aſſenſum omnem cohibere tunc poſſis, eò

quòd

quòd ratio probabilis ad aſſenſum non cogat; tamen ex hypotheſi, quòd alicui parti harum rationum aſſentiri velis, neceſſe eſt, ut probabiliori aſſentiaris; alteri autem, quæ minùs probabilis tibi apparet, aſſentiri tunc non potes. Laym. n. 5. cit. ubi hanc affert rationem. ſi enim, inquit, minùs probabili aſſentiaris, ſeu veram judices, hoc ipſo oppoſitam partem falſam æſtimas, eò quòd ſcias, non poſſe ſimul eſſe hoc, & ejus contradictorium: fieri autem non poteſt, ut partem, quæ tibi apparet probabilior, ſeu veriſimilior, judices falſam: propterea, quòd intellectus judicativus ſecundùm ſpecificationem non omnino liber ſit, ſed à rationibus, & motivis propoſiti objecti determinetur. Ita vir, cui à Doctoribus multum defertur.

Sed ulteriùs declaratur, & probatur hujus principii veritas. Si intellectus ſine ratione unum affirmet, & alterum neget, imprudenter agit; ſicut ſi diceret, ſtellas eſſe pares, & negaret eſſe impares: Petrum eſſe prædeſtinatum, non verò Paulum. &c. ergo ſi unum affirmet præ altero, non habens rationem, illud præ altero affirmandi, ſed potiùs è contrario; imprudenter ſic affirmabit: ſed quando una pars apparet minùs probabilis, & minùs ſimilis vero, altera autem

 è con-

è contra probabilior, & multò ſimilior vero; non habet intellectus rationem affirmandi, quòd pars minùs probabilis ſit vera, & pars probabilior ſit falſa, ſed potiùs è contrario; huc enim ipſum apparentia rationum ducit: ergo intellectus non poteſt prudenter affirmare, actionem eſſe materialiter honeſtam, quando ipſi clarè, & notabiliter probabilius eſt, quòd ſit materialiter inhoneſta.

Confir. Dicere, id, quòd clarè & notabiliter apparet ſimilius nigro, eſſe album; id verò, quod notabiliter minùs apparet ſimile nigro, eſſe nigrum, imprudenter dicere eſt: ergo etiam dicere, id, quod clarè, & notabiliter apparet ſimilius vero, eſſe falſum, id verò, quod notabiliter apparet minùs ſimile vero, eſſe verum, imprudenter dicere eſt: ergo non poteſt intellectus, prudenter (de quo judicio utique eſt quæſtio, quando quæritur de regula moralium actionum) judicare, actionem aliquam eſſe materialiter honeſtam, ſi videt rationes, notabiliter probabiliores, ſuadere contrarium. Quæſo, qualis eſſet iſta illatio: *hoc clarè, & notabiliter eſt ſimilius auro, ergo non eſt aurum. hoc notabiliter eſt minùs ſimile auro, ergo eſt aurum*? nonne huic illationi totus intellectus reſiſtit? & quare; niſi quia infertur totum aliud, quàm quod ratio ante-

antecedentis ſuadebat? ſic igitur & judicium, quo notabiliter ſimilius vero, judicatur falſum, & quo notabiliter minùs ſimile vero, judicatur verum, contra intellectum eſt.

Neque ſufficit dicere, quòd ratio, minùs probabilis, non ex eo judicetur verum dicere, quòd ſit minùs ſimilis vero; ſed ex eo, quòd ſit conjuncta cum commodo operantis, ad quod reſpici poteſt, ubi alia ratio conuincens non adeſt. nam licèt commodum operantis (loquor de commodo præcisè arbitrario, quia nempe ſic placet, & non placet alterum) movere poſſit intellectum, ut alicui propoſitioni præſtet aſſenſum, quem poſſet ſuſpendere, vel negare; non tamen poteſt hoc efficere, ut aliquam propoſitionem judicet falſam contra rationem. eſt autem contra rationem, propoſitionem ſimiliorem vero judicare falſam, & minùs ſimilem vero judicare veram: nam ratio ſuadet, ut in ferendo iudicio major ratio præferatur minori; quia de veritate judicatur, ſecundùm quod oſtenditur. per commodum autem præcisè arbitrarium non oſtenditur veritas obiectiva rei; ergo hoc commodum operantis non poteſt facere, ut aliqua actio prudenter judicetur materialiter, & in ſe eſſe honeſta: & cùm etiam ratio-

nes

nes notabiliter probabiliores non poſſint prudenter judicari falſę ex hoc, quòd in oppoſitum ſtent rationes notabiliter minùs probabiles, & infirmiores, & à ſpecie veri remotiores; alia autem ratio judicandi, illas eſſe falſas, non adſit: clarum eſt, quòd in concurſu minùs probabilium, non poſſint, niſi contra rationem, & imprudenter judicari falſæ; quod fieri deberet, ſi minùs probabiles judicarentur veræ; cùm ex contradictoriis qui unam dicit veram, neceſſariò alteram dicat falſam.

Neque obſtat, quòd ratio notabiliter probabilior non convincat de veritate. ex hoc enim ſolùm ſequitur, quòd non debeatur ipſi aſſenſus, vel ſimpliciter, vel non aſſenſus certus; minimè verò, quòd non ſit digna aſſenſu opinativo, & multò minùs quòd poſſit prudenter judicari falſa; vel abſolutè: non enim ſequitur: *hæc ratio non convincit: ergo eſt falſa*; vel comparativè, nempe contra illam, quæ in certamine pro veritatis titulo, notabiliter minùs ſimilem ſe vero oſtendit intellectui judicanti.

Neque dicas, verum quidem eſſe, quòd ex ratione notabiliter probabiliore, debeat de materiali honeſtate, vel inhoneſtate actionis judicari contra rationem minùs probabilem: ex hoc tamen

men non ſequi, quòd non poſſit operans aliud ſibi judicium formare de honeſtate, vel inhoneſtate formali; & ſic facere, id quod ratio minùs probabilis ſuadet: non, inquam, hoc dicas. non enim jam id agitur, neque plus peto, quàm ſolum hoc, quòd judicium de materiali honeſtate, vel inhoneſtate actionis inſtitui debeat pro ratione notabiliter probabiliore, contra rationem notabiliter minùs probabilem. & hàc veritate conceſſa, pro nunc contentus ſum.

PRINCIPIUM V.

EX eo, quod viri Probi, & Docti affirment, actionem aliquam eſſe materialiter honeſtam, quam tamen tu, cognitis eorum rationibus, & collatis cum rationibus oppoſitis, clarè deprehendis, probabilius eſſe materialiter inhoneſtam, non potes propter illos viros Probos & Doctos prudenter judicare, talem actionem eſſe materialiter honeſtam. Ratio eſt: quia Doctorum auctoritas, pondus habet ex ratione: neque enim aliter cenſentur prudenter dicere, niſi quia vel præſumuntur, vel cognoſcuntur ex magnis, & prudentibus rationibus dicere: ſed quando eorum rationes clarè apparent minùs probabiles, & minùs ſimiles

vero

Digitized by Google

vero, quàm oppoſitæ, quæ apparent notabiliter probabiliores, tunc pondus rationis tale non adeſt, ut oppoſitæ rationes prudenter judicari poſſint falſæ; ut ex 4. Princ. conſtat; ergo propter hoc quòd aliqua actio à viris Probis & Doctis affirmetur eſſe materialiter honeſta, non poteſt is, qui clarè cognoſcit, rationes in oppoſitum eſſe notabiliter probabiliores, prudenter judicare, talem actionem eſſe materialiter honeſtam.

Confirm. Non poſſum prudenter ſentire cum illo, quem debeo judicare, quòd fallatur, & erret, ſi quidem prudenter judicare velim: ſed quando compertum habeo, quòd viri Probi, & Docti pro honeſtate materiali actionis afferant rationes notabiliter minùs probabiles, quam viri Probi, & Docti pro inhoneſtate materiali, tunc debeo judicare, quòd priores illi viri Probi, & Docti fallantur, & errent, ſi quidem prudenter judicare velim: cùm enim non poſſit actio ſimul eſſe materialiter honeſta, & materialiter inhoneſta, debeo judicare, alteros ex his viris Probis, & Doctis falli, & errare: quos igitur? num illos, qui afferunt notabiliter meliores rationes? ſi ita judicem, petent illi, cur ipſos judicem falli, alteros autem verum dicere? & quia inter hos viros Probos, & Doctos

ctos aliud non intereſt, quàm quòd hi probabiliùs, illi minùs probabiliter dicant; reſpondere debeo, me judicare, ipſos falli, quia veriſimiliùs dicunt; alios autem verum tangere, quía minus dicunt ſimilia vero. quòd certè judicium à prudentibus non cenſeretur prudens: ergo non poſſum prudenter judicare, actionem materialiter eſſe honeſtam ex eo, quòd Viri Probi, & Docti id dicant, ſi videam, eorum rationes eſſe notabiliter inferiores his, quæ pro materiàli inhoneſtate afferuntur ab aliis.

PRINCIPIUM VI.

QUANDO Viris Probis, & Doctis non poſſum prudenter aſſentiri circa honeſtatem materialẽ actionis, tunc neque poſſum propter eorum auctoritatem prudenter judicare, fore mihi actionem illam formaliter honeſtam, id eſt, non imputabilem ad culpam. Probatur 1. Inhoneſtas formalis immediatè conſurgit ex judicata inhoneſtate materiali. Per hoc enim aliquis formaliter peccat, & fit culpabilis, quòd judicans, ſe verſari circa rem prohibitam, tamen rem illam facit: undè licèt res prohibita non ſit, tamen formaliter peccat, illam faciendo; ſicut ſi quis erroneè judicet, hic

hìc & nunc, v. g. die Dominica, comeſtionem carnium ſibi eſſe prohibitam, formaliter peccat, comedendo carnes; ergo ſi, auditis Viris Probis & Doctis, non poſſim prudenter judicare, actionem illam, quam ſuadent, eſſe materialiter honeſtam, ſed potiùs inhoneſtam; faciens illam, peccabo formaliter, non obſtante illorum auctoritate, vel aſſertione. Probatur 2. Nemo poteſt ſe excuſare à culpa formali per hoc, quòd ſecutus fuerit eos, quos non poterat prudenter judicare, non falli; & quos proinde unicè prudenter judicabat falli, & errare, & malum dicere bonum: nam velle ſequi errantem, eſt formaliſſimè velle errare; qui autem fateretur, ſe formaliſſimè voluiſſe errare, non ſe excuſaret, ſed potiùs accuſaret: atqui is, qui videt à Viris Probis, & Doctis afferri rationes notabiliter minùs probabiles de materiali honeſtate actionis, quàm ſint illæ quas alii Viri Probi, & Docti afferunt pro inhoneſtate materiali actionis, unicè prudenter judicat, priores Viros Probos & Doctos circa materialem honeſtatem actionis hìc & nunc errare, ut ex princ. 5. conſtat; ergo talis non poteſt prudenter judicare, actionem, quam fecit, judicans, illam eſſe materialiter inhoneſtam, non fuiſſe ſibi etiam inhoneſtam

neſtam

Digitized by Google

neſtam formaliter. Probatur 3. Si propter auctoritatem Proborum, & Doctorum Virorum poſſum prudenter judicare, actionem aliquam eſſe formaliter honeſtam, licèt illis circa honeſtatem materialem non aſſentiar; ſequitur, quòd poſſim loqui contra mentem, ſine mendacio formali. Potero enim formaliter honeſtè docere aliquam ſententiam tamquam practicabilem, ſecundùm ſe, & materialiter, quam Viri Probi, & Docti dicunt, honeſtè & licitè doceri tanquam talem: quamvis ego ex rationibus notabiliter probabilioribus judicem, illam re ipſa, non honeſtè, nec licitè doceri ut talem, utpotè nimis laxam, vel nimis periculoſam, vel prohibitionis fulmine, ſi non dejectam, ſaltèm tactam, & ambuſtam: ſed implicat in terminis, quòd aliquis ſciens, & volens loquatur contra mentem, ſine mendacio formali: ego autem in tali caſu loquerer contra mentem; quia docerem, & dicerem, reipſa, & materialiter eſſe licitum, & practicabile, quod non judicarem tale; ergo.

EX.

EX HIS PRINCIPIIS EXISTUNT CONCLUSIONES.

C*Oncluſio prima, & principaliter intenta*. Non licet ſequi opinionem minùs tutam, minùſque probabilem, contra propriam tutiorem, & probabiliorem. Ratio eſt, quia ad honeſtè agendum requiritur judicium prudens de licentia materiali, ſive de honeſtate objectiva actionis, ut conſtat ex Princ. 1. nam in ordine ad formandum hoc judicium requiritur moralis diligentia, quà inquiratur de honeſtate materiali; ne ſcil. operans culpabiliter ſe exponat periculo materialis tranſgreſſionis, & argui poſſit, noluiſſe intelligere, ut bene ageret: ſed habens opinionem tutiorem, & probabiliorem de inhoneſtate materiali actionis non poteſt habere judicium prudens de honeſtate actionis materiali, ſtante proprio judicio; cum non poſſit judicare ſimul contradictoria ex ullis rationibus, ut conſtat ex Princ. 3. ſicut enim contradictoria non poſſunt ullo modo eſſe; ita non poſſunt ulla ratione affirmari; ergo.

Concluſio II. Licet ſequi opinionem no-

tabi-

tabiliter probabiliorem, minùs tutam, contra tutiorem, minùs probabilem. Ratio eſt, quia qui facit, quod, adhibità morali diligentià, prudenter judicat, ſibi re ipſa eſſe licitum, ſèque ad plus non teneri, facit, quod debet; plus enim requiri non poteſt, quàm ut homo ſecundùm prudens ſuum judicium ſua ordinet: ſed qui notabiliter probabiliorem habet opinionem de honeſtate materiali actionis, licèt minùs tutam, prudenter judicat, illam actionem ſibi hìc & nunc eſſe licitam, & ſe ad plus non teneri: ergo. Major eſt clara. Minor conſtat ex Princ. 4. nam intellectus non poteſt contra ſimilius vero, prudenter verum judicare id, quod eſt minùs ſimile vero; ſicut, cui certum eſſet ex duobus metallis, unum eſſe aurum, alterum plumbum, imprudenter judicaret dicendo ſimilius auro, eſſe plumbum, & ſimilius plumbo, eſſe aurum, licèt id alii dicerent, quos ob cognitam rationum infirmitatem prudenter judicaret falli. Vnde ſi cui notabiliter probabilius ſit, quod mille v. g. florenos juſto titulo poſſideat; licèt in oppoſitum occurrãt rationes minùs probabiles, & reſtituere, vel ad pias cauſas applicare tutius eſſet, non tamen reſtituere, aut alienare tenetur.

Concluſio III. Quando in utramque par-

partem rationes, & auctoritates ſunt æquales, faciendum eſt id, quod eſt tutius. Ratio eſt: quia in dubio, quod prudenter deponi non poteſt, tutior pars eligenda eſt: Sed ubi rationes, & auctoritates ſunt utrinque æquales, dubium de licentia actionis materiali [quod tamen deponi deberet, juxta Princ. 1. quo oſtenſum eſt, judicari debere de licentia & honeſtate actionis materiali] prudenter deponi non poteſt. Non enim prudenter judico, partem A falſam, contra partem B, ſi videam illam æquè vero ſimilem eſſe, quam ſit pars B. Sicut, ſi videam, pondus A eſſe æquè grave, quam pondus B, non poſſum prudenter judicare, pondus A minùs depreſſurum latus bilancis, ex ſua parte, quàm pondus B ex ſua; ergo. Intelligenda tamen ſunt hæc primò, per ſe, & ſtando præcisè intra æqualitatem rationum, & auctoritatum; nam ſi notabile commodum, vel incommodum temporale, citra præjudicium tertii, accedat, poteſt aliquis judicare in ſuum favorem. Sicut enim propter hæc quandoque excuſamur à lege, de qua certò conſtat; ita multò magis excuſabimur à lege, de qua, ſpectatis intrinſecis rationibus, & auctoritatibus, dubitatur. Sed tamen in tali cauſa rationes non eſſent omnino æquales;

les ; nam etiam ipſum commodum , vel incommodum notabile , vicem , & pondus rationis habet. Secundò intelligenda ſunt , niſi ſpecialis honeſtas inſinuetur intellectui à voluntate , ut v. g. honeſtas obedientiæ ; ad hanc enim proſequendam poteſt intellectus, relictis etiam majoribus rationum momentis , ſubiicere ſe voluntati aliorum, &c. Nunc etiam una , vel altera objectio ſolvenda eſt.

Ob. 1. Judicium de honeſtate , vel inhoneſtate materiali eſt tantùm probabile ; cùm ſit opinativum : ſed judicium probabile non ſufficit ad honeſtatem actionis ; quia debet operans eſſe certus, ſe hìc & nunc hoc agendo , vel omittendo , eſſe irreprehenſibilem ; ergo non eſt aſſignatum judicium , ex quo agatur honeſtè. R. diſt. maj. eſt tantùm probabile directè , in quantum tendit in honeſtatem , vel inhoneſtatem materialem , conc. Eſt tantùm probabile indirectè, in quantum tendit in circuſtantias, in quibus judicat de honeſtate , vel inhoneſtate materiali, n. maj. judicium igitur iſtud [niſi quis malit judicia multiplicare , & duo realiter diſtincta aſſerere , quod ad rem præſentem perinde ſe habet] eſt virtualiter diſcurſivum , & duplex , & ſic dicit: judico , hanc actionem eſſe re ipſa & materialiter mihi licitam, & non poſſe

me

me ob illam reprehendi, quia facio; quod, adhibita morali diligentia, faciendum invenio; qui modus tendendi facit hominem certum de honeſtate formali, ſive de irreprehenſibilitate. nam certum eſt, quòd non poſſit reprehendi, qui facit, quod, re debitè perpenſa, rectè à ſe fieri judicavit. ex judicata ergo honeſtate materiali actionis immediatè reſultat honeſtas actionis formalis: ex circumſtantiis autem, in quibus prudenter judicatur de honeſtate materiali actionis, ſumitur, & probatur certitudo honeſtatis formalis: qui ergo de honeſtate materiali actionis imprudenter, & perperam judicat, vel eam omnino negat, is fruſtra ſibi honeſtatem actionis formalem promiſerit: qui enim facit, quod judicat re ipſa malum & prohibitum, eſſe, non malum tantùm, ſed etiam malè facit.

Ob. 2. evidens, vel ſaltem certum eſt, quòd ſententiæ Doctorum probabiliter docenti, aliquid eſſe licitum agere, poſſit ſe quiſque in praxi conformare: ſed hoc facit, qui contra opinionem probabiliorem propriam, ſequitur opinionem alienam, minus probabilem; ergo evidens, vel ſaltem certum eſt, quòd liceat ſequi opinionem minùs probabilem, contra probabiliorem propriam. R. diſt. maj.

maj. Evidens, vel certum eſt, quod ille ſe poſſit conformare, qui bona fide judicat, hos Auctores, probabiliter docentes, verum dicere, & ſua probabilitate non falli, conc. Evidens, vel certum eſt, quòd ille, qui ob conſideratas, vel inventas rationes notabiliter probabiliores unicè prudenter judicat, illos falſum dicere, & errare, n. maj. cum Laym. c. 5. §. 2. n. 8. ubi fatetur, hoc principium non reſpectu omnium procedere, ſed reſpectu eorum, qui rem ipſam ſecundùm ſe non ita penetrantes, horum Doctorum auctoritatem ſecuti, certò ſibi perſuaſerunt, ſe bonà conſcientià ſequi hos Viros Probos, & Doctos, quantumvis aliis reclamantibus. Vrg. Ipſi etiam Viri Probi, & Docti habent hoc Principium pro evidenti, vel ſaltem pro certo. Judicant enim evidens, vel certum eſſe, quod agat honeſtè, qui prudenter agit: ſed qui agit ſecundùm opinionem minùs probabilem, contra propriam probabiliorem, agit prudenter: agit enim ex motivo gravi, & tali, quod dignum appareat prudenti aſſenſu: nam hoc eſt motivum etiã comparativè probabile, *dignum adhuc prudenti aſſenſu*: ergo evidens, vel ſaltem certum eſt, quòd liceat ſic agere. R. 1. Etiam hos Viros Probos, & Do-

ctos, eò quòd iſtud principium invincibiliter habuerint pro evidenti, vel certo, formaliter honeſtè egiſſe, agendo, vel ſuadendo ſecundùm illud. interim tamen non ſequitur, principium ſecundùm ſe eſſe evidens, vel certum. R. 2. conc. maj. n. min. Qui enim tenetur inquirere, & judicare, quid materialiter liceat, quid non; ne ſcil. vel abſtrahendo, vel non debitè inquirendo culpabiliter ſe exponat periculo materialis tranſgreſſionis: ille poſt inventa majora momenta pro inhoneſtate materiali, & aſſenſu opinativo approbata tanquã vera, non prudenter agit agendo ſecundùm opinionem alienam minùs probabilem. cùm enim utrumque opinari non poſſit, eſſe nimirum materialiter inhoneſtum, & eſſe materialiter honeſtum: aſſenſu opinativo judicans, eſſe materialiter inhoneſtum, hoc ipſo judicabit, non eſſe materialiter honeſtum, adeoque opinionem alienam de materiali honeſtate, eſſe falſam: ſed qui ſequitur opinionem, quam judicat falſam, & ducere ad id, quod eſt prohibitum, non prudenter agit: ergo. Ad id, quod additur, *motivum verè probabile eſſe dignum prudenti aſſenſu*, dupliciter reſponderi poteſt. Primò, concedendo, quòd ſit dignum prudenti aſſenſu in illis circumſtantiis, in quibus

aſſen-

aſſenſus eſt poſſibils: non autem eſt poſſibile, ut, dum aſſentior motivis probabilioribus, & judico, actionem eſſe materialiter inhoneſtam, ſimul judicem, illam eſſe materialiter honeſtam; ſunt enim hæc contradictoria. ex eo autem, quòd alii aſſentiantur tali motivo, quos ego, retento contrario judicio, judico falli, non excuſor: quæ enim eſſet hæc excuſatio; *ego judicavi rem eſſe malam, ſed feci illam, quia alij judicarunt, eſſe bonam, quos judicavi falli, & cum quibus minimè ſenſi*. ergo contra opinionem probabiliorem propriam, id eſt, ſtante hoc, quòd aliquis judicet, rem eſſe materialiter prohibitam, non poteſt ſequi opinionem alienam minùs probabilem, ſive facere, quod non ipſe, ſed ſolùm alii honeſtum judicant. ſicut enim nemo judicabitur ex alienis factis, quibus non conſenſit, ſed ex ſuis; ita non judicabitur ex alieno ſenſu, cui non conſenſit, ſed ex ſuo ſenſu, & dictamine. II. Reſponderi poteſt, Motivum verè probabile etiam in concurſu probabilioris, eſſe dignum prudenti aſſenſu ſpeculativo; ut nempe judicetur adhuc ingenioſum inventum; in quantum non ita extenuatur per alterum motivum, ut redigatur ad tenuem omnino probabilitatem, & quaſi prorſus evaneſcat. non tamen eſt

Digitized by Google

dignum prudenti aſſenſu practico; ut habeat vim falſificandi, ſive inclinandi & determinandi ad judicanda falſa motiva probabiliora: quod fieri deberet: cum oppoſita non poſſint judicari ſimul vera: non igitur principium adverſariorum eſt certum: multò minùs evidens.

Quod ulterius ſic oſtendo. Si evidens, vel certum eſt hoc principium: *qui prudenter agit, honeſtè agit: ſed qui agit, quod Probi, & Docti Viri probabiliter dicunt, licitum eſſe agere, ille prudenter agit, etiamſi judicet, vel prudenter judicare poſſit, illos ſua probabilitate falli: ergo agit evidenter honeſtè*. Si inquam certum, vel evidens eſt hoc principium, ſequitur, quòd Deus evidenter, vel certò injuſtè condemnaret hominem, qui, probabilioribus cognitis, ſecutus eſſet minus probabilia: hoc dici non poteſt; ergo principium adverſariorum non eſt evidens, vel certum. mai. eſt clara. Evidens eſt enim, quòd injuſtè condemnetur, qui honeſtè agit, cùm propter virtutem, & bonum opus nemo ſit condemnabilis; ergo ſi eſt evidens, vel certum, quòd ſequens minùs probabilia, contra probabiliora, evidenter agat honeſtè, evidens, vel certum erit, quòd iniuſtè condemnetur à Deo. min. autem probatur. Si dici poteſt, quòd Deus evidenden-

denter, vel certò injuſtè condemnet ſic agentem, etiam dici poterit, quòd evidenter, vel certò errent, qui docent, ſic agentem non honeſtè, nec licitè agere. nam evidens eſt, quòd erret, qui negat, dari licentiam agendi id; quod evidenter licitè agitur. Sed quòd Auctores, docentes, eſſe obligationem in conſcientia, ſequendi probabiliora, evidenter vel certò errent, dici non poteſt; niſi quis tam cordatus ſit, ut dicat, ſpeciali Decreto permiſſum eſſe, doceri in Scholis ſententiam evidenter erroneam: nec ſolùm permiſſum eſſe, ſed etiam homines invitari ad evidentes errores docendos. ſi autem dici non poteſt de hominibus, quòd evidenter, vel certò errent, imponendo obligationem contrariam: multò minùs de Deo dici poterit, quòd evidenter, vel certò injuſtè agat, requirendo talem obligationem, & ob eam prætermiſſam condemnando. ergo principium Adverſariorum non eſt evidens, vel certum. debet autem principium ultimò directivum actionis humanæ, ad minimum eſſe certum, ut in confeſſo eſt; ergo Adverſ. per ſuam ſententiã non dant ſufficiens principiũ, nec intrinſecum, nec extrinſecum ad manum; ergo non poteſt aliquis ſecundùm illorum ſententiam honeſtè, ac licitè agere.

Ob. 3. Inter duo bona, poſſum eligere minus: ergo etiam inter probabilia poſſum amplecti minùs probabile. R. trans. ant. n. conſ. quia eligendo minus bonum, non dico alterum malum: ſed amplectendo per intellectum minùs probabile, tanquam verum, dico probabilius & ſimilius vero, falſum; quod non eſt ſecundùm viam intellectus, qui ſecundùm apparentiam & pondera rationum procedit. ſicut, qui volens vitare naufragium, eò dirigeret navem, ubi videret majus periculum naufragii, non is ſecundùm ductum intellectus dirigeret navem, nec eſſet excuſabilis; & multò minùs oſtendi poſſet, quòd evidenter, vel certò prudenter feciſſet. ſic igitur nec is prudenter ageret, qui obligatus, moraliter evitare periculum materialis tranſgreſſionis, id ageret, ubi videret, notabiliter majus eſſe periculum materialis tranſgreſſionis. & fruſtra hìc prætenditur commodum, ſive poſſeſſio libertatis; non enim libertas eſt in poſſeſſione ad imprudenter agendum, vel ad non vitandum moraliter periculum prævaricationis materialis.

Ob. 4. Eſt nimium onus inveſtigare, quid ſit probabilius, quid minus probabile; ergo ſatis erit, ex inſpecto indice alicujus libri raptim cognoſcere, quod ali-

aliquid ibi ut probabile, & practicabile annotetur, vel etiam [ut hìc quoque labor abſit] ſufficiet, cogitare, non defuturos Auctores pro parte favorabili: cùm in judiciis de rebus, niſi omnino manifeſtæ ſint, vix unquam ſoleant convenire. R. moralem diligentiam [taxandam pro qualitate occaſionis, & perſonarum] in inquirenda licentia & honeſtate materiali actionis, ab omnibus requiri: quod igitur, hac adhibita, inventum fuerit probabilius, & ſimilius vero, id non erit difficile, judicare verum: cùm intellectus ſecundùm ſuam prudentiam per ſe ad tale judicium propendeat, modò non impediatur à prudentia carnis: cui in rebus ad ſalutem æternam animæ noſtræ pertinentibus, non nimiùm fidendum; ne, dum pro illa nimis ſtudiosè quęrimus excuſationes, cum ſervo nequam ex ore noſtro judicemur, quòd videntes meliora, & probantes, deteriora ſimus ſecuti. Huc igitur voluntas adigatur, ut firmiter velit potiùs ab omni commodo temporali, quàm ab infinito Bono ſeparari; & non erit difficile, voluntatem Domini probabiliùs cognitam, cum bono ſervo adimplere, eaque omittere, quæ apparent digna plagis; jugum enim Domini ſuave eſt, & onus ejus leve, licèt mandauerit mandata ſua cuſtodiri nimis.

O. A. M. D. G.

1.007.791

Digitized by Google

25.4.H.28 2

15709

Digitized by Google

PRINCIPIORUM
DE
USU PROBABILIS OPINIONIS,

Aliquantum fuſior Declaratio, & Confirmatio,

PER EUNDEM AUCTOREM.

Cum inſertione omnium Propoſitionum damnatarum, ab INNOCENTIO X. *uſq; ad Sanctiſ. D. Noſtrum* INNNOCENTIUM XII. *incluſivè.*

EDITIO PRIMA.

ROMÆ, MDCXCIX.
Typis Lucæ Antonii Chracas, prope Curiam INNOCENTIANAM.

Superiorum Facultate.

Digitized by Google

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſs. P. Sac. Apoſt. Palatij Magiſtro.

Dominicus B. de Bellis Epiſc. Melphicten. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinius Sacri Palatii Apoſt. Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

Digitized by Google

APPROBATIO THEOLOGICA.

CUm ſecundæ hæ Curæ, quibus *Principia*, & *Concluſiones de Licentia Actionum Moralium*, & *Uſu Opinionis Probabilis* (anno ſuperiori hìc in Germania Typo datæ, & mox per plures alias Europæ Provincias recuſæ) paulò fuſiùs ſtabiliuntur, eò tendant, ut Doctrinam, cum *Orthodoxæ Fidei*, ac *Chriſtianæ Prudentiæ* Regulis apprimè cohærentem, & validiùs defendant, & efficaciùs perſuadeant, non modò lucem publicam, ſed & commendationem merentur ſingularem. Ita cenſebam Oeniponti, ix. Kalen. Quintil. 1698.

Joan. Bapt. Halden. è Soc. Jesu Sac. Theol. Doct. & in Cæſareo Archiducali Univerſitate Oenipontana Prof. Ordin. Theol. Facult. p. t. Decanus.

PRÆFATIO.

CUM anno priore Principia de Uſu probabilis opinionis, huic Opuſculo præfixa vulgaſſem, duo deſiderari mox audivi. Primum, quòd pro mea tantùm domo locutus, de fundamentis contrariis omnino ſiluerim; cùm tamen in re tam contentioſa maximè oportuiſſet, etiam alteram partem audire, ejuſque momenta non minus convellere, quam propria ſolidare.

Alterum, quod deſiderabatur, erat, omiſſa auctoritatum allegatio; quam non ſolùm eruditio, ſed ipſa etiam veritas requirebat; quia ſuſpecta eſt rationum lux, quæ non oſtenditur,

&

& viſa eſſe nobilibus aquilis, & placuiſſe.

Sine excuſatione faciam, utrumque. & quidem anctoritatem quod attinet, ab ipſis illam adverſariorum amicis, & patronis accipiam; ut, niſi defenſoribus ſuæ ſententiæ inimici eſſe velint, & ipſi priùs inter ſe pugnare, nobis adverſari non poſſint. momenta verò nimis benignæ doctrinæ una ferè reſponſione diſſolvam; ut vel ex hoc & noſtræ partis robur, & adverſæ infirmitas appareat. non omittam etiam onera addere, quibus premitur Probabiliſmus. atque hæc non alio, quàm veritatis, & boni publici ſtudio, ad Dei Gloriam.

ARTI-

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX ARTICULORUM.

ARTICULUS I.

QVid ſit dictamen conſcientiæ? p. 39.

ARTICULUS II.

Utrum ad omnem actum moralem boneſtum, neceſſarium ſit judicium de boneſtate, vel inboneſtate materiali? 52.

ARTICULUS III.

Utrum judicare, actionem probabiliter eſſe materialiter boneſtam, ſit idem, in ſenſu philoſophico, ac judicare opinativè, illam eſſe boneſtam? 61.

ARTICULUS IV.

Utrum ſaltèm in ſenſu morali idem ſit, judicare, actionem probabiliter eſſe materialiter boneſtam, & judicare opinativè, illam eſſe boneſtam? 69.

ARTICULUS V.

Utrum ſaltèm ex boc, quòd judicetur, actionem probabiliter eſſe bic & nunc boneſtam, formari aliud judicium poſſit, reflexum, quo judicetur, actionem bic & nunc

Digitized by Google

nunc eſſe boneſtam; licèt id per primum judicium, probabilitatis nimirum, nec in ſenſu philoſophico, nec in morali judicetur? 86.

ARTICULUS VI.

Proponitur præcipuum argumentum, quo conantur adverſarii oſtendere, ex probabilitate comparativa boneſtatis, prudenter & legitimè inferri, actionem hìc & nunc eſſe boneſtum. 91.

ARTICULUS VII.

Principium Adverſariorum, quòd ex ſolo judicio probabilitatis comparativæ boneſtè agatur, ſine judicio de veritate boneſtatis, aut contra illud, tunquam impertinens, ab ipſis eorum Patronis, & etiam ab Apoſtolo reprobatur. 108.

ARTICULUS VIII.

Oſtenditur, principium Adverſariorum ducere ad propoſitionem valde periculoſam, & omnino reprobandam. 113.

ARTICULUS IX.

Oſtenditur, principium Adverſariorum, ducere ad praxes, graviter probibitas. 119.

AR-

ARTICULUS X.
Referuntur quædam Propoſitiones à Summis Pontificibus prohibitæ, quæ videntur ex principio Probabiliſtarum prodiiſſe. 127.

ARTICULUS XI.
Proſecutio prioris tituli. 138.

ARTICULUS XII.
Oſtenditur, ex principio Adverſariorum maximum præjudicium inferri obedientiæ. 151.

ARTICULUS XIII.
Oſtenditur directè, principium Adverſariorum non eſſe verum, hoc eſt, non omne ex hoc, quòd ſit probabile, etiam comparativè, eſſe ſtatim in praxi prudenter eligibile. 161.

ARTICULUS XIV.
Oſtenditar, non eſſe licitum amplecti minus probabile, & minùs tutum, contra notabiliter probabilius, & tutius. 172.

ARTICULUS XV.
Utrum dictamen, formatum ſecundum rationes magis probabiles, ſufficiat ad honeſtè operandum, vel inſuper aliud requiratur. 187.

ARTICULUS XVI.
Solvuntur objectiones. 189.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARTICULUS PRIMUS.

Quid ſit dictamen conſcientiæ?

OMNES fatentur, actus morales honeſtatem, vel inhoneſtatem habere à dictamine conſcientiæ, tanquam à regula, cui ſe conformans homo, rectè, à qua diſcedens, inhoneſtè operetur. eſt ergo ante omnia neceſſarium exponere, quid ſit hoc dictamen?

Thomas Sanchez l. 1. in Dec. c. 9. n. 1. ſic deſcribit: eſt judicium, quo aliquid bonum eſſe, vel malum judicamus. & addit: quamvis lex, ſive naturalis, ſive divina, ſive humana ſit prima malitiæ, aut bonitatis noſtrarum operationum regula: at proxima eſt dictamen rationis, ſeu judicium conſcientiæ, proponens voluntati objectum tanquam honeſtum, vel turpe. quippe cùm voluntas ſit potentia cęca, ut liberè operetur, quod ad bonitatem, vel malitiam operationis deſideratur, indiget rationis judicio proponente objectum tanquam honeſtum, vel turpe. atque proinde id rationis judicium proxima regula erit. ubi diligenter notandum eſt, quòd dicat, requiri

quiri

quiri judicium proponens *objectum tanquam honeſtum, vel turpe*. nam ſic patet, quòd dictamen conſcientiæ ſit circa honeſtatem objectivam, & materialem, ſive ipſius actionis, non autem circa honeſtatem formalem, ſive inimputabilitatem; quæ non eſt objectum dictaminis, ſed tantùm eſt fructus & effectus, ex dictamine rectè inſtituto reſultans. Quod ex verbis ejuſdem Auctoris facilè confirmatur. dicit enim n. 3. quòd dictamen practicum, ſive particulare, debeat concordare cum dictamine ſpeculativo, ſive univerſali, & in communi dictante, aliquid eſſe licitum, vel illicitum: niſi aliqua ratio ſpecialis judicium practicum à ſpeculativo variare cogat, judicando hìc & nunc licitum, quod in communi judicatur illicitum. ſubſumo: atqui judicium ſpeculativum, & in communi, eſt de honeſtate, vel inhoneſtate objectiva, materiali, & ipſius actionis ſecundùm ſe, non autem de honeſtate formali: ergo etiam judicium practicum, ſive particulare debet eſſe de honeſtate materiali; ita ut id ipſum judicet hìc & nunc in individuo materialiter honeſtum, quod judicabatur materialiter honeſtum in communi, vel viciſſim. explicemus rem exemplo. qui judicat in communi, homicidium eſſe prohibitum, etiam judicare

care debet in particulari, homicidium, ad quod feſtinat, eſſe prohibitum, niſi ſpecialis ratio id reddat licitum: qualis ratio, nempe præceptum Dei, quia occurrebat Abrahamo, ideo jam potuit ille, contra commune judicium prohibiti homicidii, formare ſibi judicium particulare, re ipſa, & materialiter, ac verè licitum ſibi eſſe, filio auferre caput. & ſi res accuratè conſideretur, non eſt inter hæc judicia ſtrictè loquendo diſcordia. nam hanc ipſam exceptionem, quæ ad judicium particulare explicitè concurrit, judicium univerſale implicitè, & in confuſo includit. Si enim eſſet ſimpliciter abſolutum, & omne prorſus homicidium affirmaret prohibitum, tunc tam parum cum tali judicio poſſet conjungi judicium particulare, quo aliquis judicaret, homicidium, à ſe hìc & nunc patrandum, eſſe licitum, quàm parum conceſſa hac propoſitione, *omnis homo currit*, & alterà, *Petrus eſt homo*, poteſt negari hæc, *Petrus currit*. nam univerſale *ſine exceptione*, utique omne particulare includit. aut danda erit licentia, in *Darii* negandi conſequentiam. quod quidem privilegium hactenus Logica Ariſtotelis nullis rationibus conceſſit, nec directis, nec indirectis, aut quomodocunque circumflexis; cùm talis diſſenſus

ſus manifeſtè ſit contra rationem.

Nunc à Sanchez, Probabiliſta in paucis nobili, tranſeo ad Leonardum Leſſium, & ipſum benignæ ſententiæ addictiſſimum. Hìc q. 19. de actibus human. a.6. dub.1. inquirens, quid ſit dictamen conſciëntiæ propriè dictum? ſic ait: reſpondeo, hoc nomine hìc intelligi judicium, ſeu dictamen intellectus, quo judicat aliquid eſſe bonum, vel malum, præceptum, vel prohibitum, bene vel malè à nobis factum, aut non factum. Subſumo: ſed operatio ipſa judicatur bona vel mala, præcepta vel prohibita &c. ergo dictamen conſcientiæ eſt de honeſtate, vel inhoneſtate materiali, & objectiva. quod ipſum cit. Aut. ſatis declarat n.21. & 22. dum ait, conſcientiam eſſe applicationem ſcientiæ, tanquam univerſalis, ad actum quendam particularem, & ad objectum. item, poſſe idem judicari, eſſe præceptum, & eſſe moleſtum. atqui quod judicatur moleſtum, eſt ipſa operatio materialiter, & in ſe ſpectata; ergo etiam eſt id, quod judicatur præceptum. Et dub. 3. n. 28. probans, peccatum contra conſcientiam commiſſum, non eſſe duplex peccatum, utitur hac ratione, quam vocat à priori: conſcientia non ſe habet per modum objecti reſpectu voluntatis, ſed

ſed ſolùm per modum *applicantis objectũ*; eſt enim actus intellectus, *proponens objectum*, ſub ratione præcepti, vel vetiti; boni, vel mali; unde per ſe non tribuit actui bonitatem vel malitiam, ſed ſolùm *ratione objecti, quod per conſcientiam ut bonum, vel malum, præceptum vel vetitum proponitur*. quid clarius? aut quomodo dictamen conſcientiæ applicabit objectivã inhoneſtatem, tanquam rationem à priori unius tantùm peccati, ſi non feratur in objectivam, & materialem, & ſecundùm ſe ſpectatam inhoneſtatem operationis?

Tertium produco, de conſcientia accuratum ſcriptorem, & ipſum Probabiliſtam, Franciſcum Bardi, qui Diſcept. 1. c. 2. n. 3. ſic concludit: conſcientia eſt judicium intellectus, immediatè verſans circa morales noſtras actiones, dictans, quid ſit faciendum, quidve fugiendum. & n. 8. ponens duo judicia, quorum unum proponat voluntati objectum tanquam inhoneſtum, & rectæ rationi diſforme, ac fugiendum; alterum verò alliciat voluntatem ad objectum proſequendum, tanquam utile, vel delectabile: quod quidem judicium alliciens, & ſeducens, ſi voluntas ſequatur, ait, eſſe judicium ultimum, & practicè practicum (in quantum nimirum ad id conſequitur voluntas, & effectus, quem ſuggeſſit,

quam-

quamvis non ſit dictamen conſcientiæ, eò quòd non dictet, rem eſſe faciendam, tanquam honeſtam, ſed tanquam utilem, vel ſenſui conformem) prius verò judicium, quod direxit voluntatem ad fugam talis objecti, utpote naturæ rationali difformis, ait, non eſſe ultimum, nec practicè practicum, ideſt, cum effectu conjunctum; eſſe tamen dictamen ipſiſſimum practicum conſcientiæ; ita ut voluntas, licèt ſequatur judicium alliciens, non propterea agat iuxta dictamen conſcientiæ, ſed omnino contra illud; in quantum recedit à priore illo judicio, quod verè eſt dictamen conſcientiæ, licèt non ſit in hoc caſu judicium ultimum, nec practicè practicum, in ſenſu indicato. Ex quibus in præſens ſic poſſumus arguere: ſi judicium ultimum, & practicè practicum, eſt de objecto ſecundùm ſe, & materialiter, tunc multò magis judicium non ultimum erit ſic de objecto; ſed judicium illud alliciens, & ultimum, eſt de objecto ſecundùm ſe, & materialiter; proponit enim ipſam rei utilitatem, vel delectabilitatem: ergo etiam judicium, in hoc caſu non ultimum, quod eſt dictamen conſcientiæ iuxta dicta, erit de objecto ſecundùm ſe, & materialiter; cùm de eodem judicet, eſſe inhoneſtum, de quo

alte-

Digitized by Google

alterum judicat, eſſe utile, vel delectabile. Confirmari poteſt ex eodem Auctore. dicit enim c. 4. n. 7. quòd conſcientia poſſit circa plura extingui in nobis; licèt non citra culpam; idque manifeſtè patere ex eo, quòd homo peccans poſſit tandem ita in voluntate depravari, ut in multis falſum culpabiliter judicet; atque inde factum eſſe, ut plures Nationes exiſtimaverint, adulterium non eſſe malum, uſuram eſſe licitam,&c. quæ intelligi non poſſunt, niſi conſcientia verſetur circa ipſam honeſtatem, vel inhoneſtatem materialem dijudicandam.

Prætermiſſis quàm plurimis, inter antiquiores mediis pro ſententia benigna Scriptoribus, recentiſſimum affero P. Jac. Illſung, qui in ſua Theol. practica tr. 1. ar 1. cum communi ſic definit conſcientiam: eſt actus intellectûs, judicans aliquid eſſe licitum, aut illicitum; honeſtum, aut inhoneſtum; ſequendum, aut fugiendum. & relatis n. 2. diviſionibus conſcientiæ, n. 3. ſubjungit, quòd, cùm actus voluntatis reddatur honeſtus, aut inhoneſtus ab objecto non ſecundùm ſe, ſed prout apparet intellectui honeſtum, aut inhoneſtum, debeat voluntas edoceri, quomodo objectum intellectui apparuerit, ut huic apparen-

parentiæ, ſive honeſtati repræſentatæ ſe conformans, eligat honeſtè; ab illa ſe avertens, agat inhoneſtè: ſive in illa repræſentatione objecti, ut honeſti, erratum fuerit, ſive non; quia voluntas, ſequens dictamen rationis, ſive conſcientiæ, honeſtè operatur; & viciſſim. Eſt ergo dictamen conſcientiæ de honeſtate objectiva, & materiali, utpote quam debet repræſentare voluntati, tanquam potentiæ cęcæ; & circa quam poteſt voluntatem, & ſolet quandoque decipere. Et ar. 2. n. 8. actum intellectûs, qui directè verſatur circa objectum, vocat menſuram, ac regulam objectivam, cui voluntas debeat conformari, ut verè ac ſubjectivè honeſta ſit. atqui dictamen conſcientiæ eſt regula honeſtatis; ergo ipſum eſt directè circa objectum; illudque repræſentat, ſecundùm ſe, & materialiter, vel honeſtum, vel econtra. & n. 13. ad hoc, ut aliquis certus ſit, ſe honeſtè operari, requirit hunc actum, tanquam neceſſarium, & reflexum in dictamen conſcientiæ: *qui probabilius, vel etiam tantùm probabiliter judicat, operationem ſuam eſſe objectivè, & etiam materialiter honeſtam, ille non peccat formaliter, talem operationem exequendo*: ergo clarè fatetur, actum intellectûs, quo quis judicat, operationem

nem eſſe materialiter, & ſecundùm ſe honeſtam, eſſe dictamen conſcientiæ. ſi quis ergo ex Adverſariis hoc neget, priùs cum ſuis commilitonibus pugnare debebit, quàm nobiſcum

Nec noſter tantùm, aut ſuorum, ſed ipſius etiam Apoſtoli adverſarius erit; utpote qui Rom. 14. dictamen conſcientiæ clarè conſtituat in judicio, de ipſo objecto; cùm ait: *Scio, & confido in Domino* JESU, *quia nihil commune per ipſum, niſi ei, qui exiſtimat, quid commune eſſe, illi commune eſt*. atqui Apoſtolus non tantùm ſcivit, & confidit, quòd nihil ſit commune formaliter, hoc eſt, non imputetur, ſed quod re ipſa, & ſecundùm ſe, ac materialiter non ſit commune, & prohibitum à Chriſto: ergo etiam ſcivit, & aſſeruit, ipſi commune eſſe, hoc eſt, tanquam commune, & immundum imputari, qui judicans, eſſe re ipſa & materialiter commmune, nihilominus contra hoc judiciū manducaverit, agens hac ratione contra conſcientiam. nam illi, de quibus loquitur, judicabant de cibis ſecundùm ſe, & materialiter ſumptis, reiicientes v. g. ſuillam, & approbantes, tanquam licitè comeſtibilem, vitulinam. Unde in fine hujus capitis ſubjungit: *beatus, qui non judicat ſe ipſum in eo, quod probat; qui autem diſcernit,*

ſi

ſi manducaverit, damnatus eſt, quia non ex fide: omne autem, quod non eſt ex fide, peccatum eſt. quaſi diceret, qui in eo, hoc eſt, in illo objecto, quod ſecundùm ſe, & materialiter, ac re ipſa per actualem commeſtionem & electionem approbat, non judicat ſe ipſum, dicens ſibi intus, quòd verſetur tali ſua electione circa rem materialiter inhoneſtam, & re ipſa prohibitam, ille beatus, & quoad hoc ſine peccato eſt: ſed qui diſcernit, hoc eſt, qui judicat, objectum eſſe re ipſa & materialiter malum ac prohibitum, peccat, ſi manducet; quia non ex fide, hoc eſt, ex conſcientia, ſed potiùs contra illam. ergo clarum eſt, quòd conſcientia juxta Apoſtolum ſit de objecto, & honeſtate, vel inhoneſtate materiali: quomodo enim aliàs pro eodem ſumeretur, agere contra judicium de materiali honeſtate, & agere contra conſcientiam?

Sed audiamus Apoſtolici textus explicationem ex Angelico Doctore; ut etiam hac auctoritate pateat, benignæ ſententiæ Auctores rectè dicere, quòd dictamen conſcientiæ ſit judicium de honeſtate, vel inhoneſtate materiali; utque ſic contra illos, qui de eorum Caſtris ſunt, & aliter ſentiunt, munitiores exiſtant. ſic igitur Lect. 2. in illa verba ſcio & confido, &c. habet: ſciendum, quòd

apud

Digitized by Google

apud Romanos erant quidam ex Judæis ad fidem Chriſti converſi, qui cibos, ſecundùm legem diſcernebant: alii verò habentes fidem perfectam, indifferenter omnibus cibis utebantur, quod quidem ſecundùm ſe licitum erat. unde dicit Apoſtolus, ſcio & confido in Domino Jesu, quia nihil eſt commune per ipſum. & hoc quidem primò dicit, ſe ſcire, quia ita eſt ſecundùm rerum naturam, eò quòd omnis creatura Dei, bona. Secundò dicit, ſe confidere in Chriſto Jesu, quia *per ipſum* nihil eſt commune. quia ſcil. cibi ſecundùm ſuam naturam nunquam fuerunt immundi, vitabantur tamen aliquo tempore ut immundi ſecundùm legis præceptum propter figuram: ſed hoc Chriſtus removit, implendo omnes figuras. & ideo Apoſtolus per fiduciam, quam habet in Domino Jesu, aſſerit, nihil eſſe commune, vel immundum, *per ipſum*, id eſt, ipſo hoc faciente, ſecundùm illud act. 10. *quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris*. tertiò oſtendit Apoſtolus, quomodo hoc poſſit eſſe per accidens illicitum, in quantum ſcilicet eſt contra conſcientiam manducantis; unde dicit, nihil commune & immundum eſſe, *niſi ei, qui exiſtimat*, aliquid commune, ſeu immundum eſſe; illi enim ita illicitum eſt, ac ſi eſſet ſe-

C cun-

Digitized by Google

cundùm ſe immundum. & ſic apparet, quòd aliquid, quod eſt ſecundùm ſe licitum, efficitur illicitum ei, qui id contra ſuam conſcientiam agit; licèt conſcientia ſua ſit erronea. quod rationabiliter accidit. nam actus judicantur ſecundùm voluntatem agentium: voluntas autem movetur à re apprehenſa; unde in id voluntas tendit, quod ei vis apprehēſiva repræſentat; & ſecundùm hoc qualificatur, vel ſpecificatur actio. Si igitur ratio alicujus judicet, aliquid eſſe peccatum, & voluntas feratur in id faciendum, manifeſtum eſt, quod homo habet voluntatem faciendi peccatum, & ita actio ejus exterior, quæ informatur ex voluntate, eſt peccatum. & hoc, ait, etiam verum eſſe in per ſe malis; ut ſi quis exiſtimet, furari v. g. aut fornicari, eſſe neceſſarium ad ſalutem: talis enim, ſi non furaretur, aut fornicetur, peccabit mortaliter; quia aget contra conſcientiam, dictantem, omiſſionem furti, aut fornicationis eſſe peccatum mortale, utpote excluſivam à ſalute: qui autem vult omiſſionem, quam conſcientia dictat, eſſe graviter peccaminoſam, vult grave peccatum; ergo talis graviter peccaret. quod patet ex hoc ipſo textu Apoſtoli. manifeſtum eſt enim, quòd diſcernere cibos, quaſi neceſſarium eſſet ad ſalutem,

tem, illis abſtinere, erat illicitum; quia nec Judæis converſis, etiam ante divulgationem Evangelii licebat ſervare legalia, ſpem ponendo in eis, quaſi eſſent neceſſaria ad ſalutem; & tamen Apoſtolus hìc dicit, quòd ſi quis habens conſcientiam cogentem, hoc eſt, dictantem diſcernere cibos, quod eſt æſtimare, aliquid eſſe commune; & non diſcernit eos, ſcil. abſtinendo ab eis, peccat, ac ſi manducaret immundum. & ita conſcientia erronea etiam in per ſe illicitis ligat. Subſumo: atqui error eſt circa objectum ſecundùm ſe, & materialiter acceptum; ergo cùm iſte ſit iuxta Apoſtolum conſcientia, eſt iuxta ipſum conſcientia de objecto ſecundùm ſe, & de ejus honeſtate, vel inhoneſtate materiali.

Confirmantur dicta ſpecialiter ex quæſtione, quæ præmanibus eſt. quæritur enim de conſcientia probabili, ſeu opinativa, utrum illam liceat ſequi? atqui conſcientia probabilis non eſt judicium probabile, & opinativum honeſtatis formalis, aut ipſius probabilitatis; de duobus enim his iuxta ipſoſmet adverſarios operans eſt certificatus: ergo conſcientia opinativa ſaltèm, de qua nunc agimus, non eſt aliud judicium, quàm de honeſtate, vel inhoneſtate ma-

Digitized by Google

teriali; & qui hoc negaret, totum ſtatum quæſtionis tolleret, nec poſſet oſtendere, quomodo aliquis aut contra, aut ſecundùm conſcientiam *opinativam* unquam operaretur: de quo nunc quæritur.

ARTICULUS II.

Utrum ad omnem actum moralem honeſtum, neceſſarium ſit judicium de honeſtate, vel inhoneſtate materiali?

HÆc quæſtio ex priore articulo clarè reſolvitur. dictum eſt enim, quòd conſcientia ſit judicium de hac honeſtate, vel inhoneſtate: ſed ad omnem actum moralem requiritur, & neceſſaria eſt conſcientia: omne enim, quod non eſt ex fide (hoc eſt, ſecundùm directionem conſcientiæ) peccatum eſt; ergo ad omnem actum moralem neceſſarium eſt judicium de honeſtate, vel inhoneſtate materiali. Confirmatur ſpecialiter in præſenti materia. nam conſcientia opinativa eſt incerta de eo, de quo judicat; aliàs non eſſet opinativa: ſed non eſt incerta, niſi de honeſtate, vel inhoneſtate materiali; ergo de hac judicat; ergo cùm ad agendum ex conſcientia opinativa, neceſſariò requiratur conſcien-

ſcientia opinativa; & hæc non ſit, niſi de honeſtate, vel inhoneſtate materiali, evidens eſt, ad omnem actum moralem, ſaltèm procedentem ex conſcientia opinativa, neceſſarium eſſe judicium de honeſtate, vel inhoneſtate materiali.

Habemus hujus veritatis iterum Patronos, ipſos Adverſarios; primus eſt Vaſq. diſp. 62. c. 5. n. 26. ubi de habente formidinem hic, & nunc in ſingulari, an actio, quam exequitur, non ſit fortè illicita, concludit, quòd rectè illam exequatur, *modò habeat aſſenſum probabilem* de ejus licentia; *Secùs autem, ſi ſic formidet, ſine aſſenſu de licentia*. Subſumo: atqui id, ex cujus defectu actio non eſt honeſta, neceſſarium eſt ad honeſtatem actus; ergo judicium opinativum de honeſtate, vel inhoneſtate materiali, de qua ſola poteſt eſſe opinio, eſt neceſſarium ad actum moralem honeſtum. Verba dicti Auctoris ſunt hæc: quare ego quidem exiſtimo, poſſe aliquem rectè operari cum aſſenſu tantùm probabili, etiamſi habeat formidinem oppoſitę partis, non ſolùm ſi formidinem habeat ſimul cum judicio univerſali, ſed etiam ſi eam habeat ſimul cum judicio ſingulari, nec tantùm formidinem habeat per intrinſeca principia rei, ſed etiam per extrinſeca. & addit, data opera ſe di-

xiſſe, cum aſſenſu, qui ſit cum formidine oppoſitæ partis; non autem cum dubitatione: quia ſi aliquis dubius eſſet circa aliquod genus operationis, non poſſet ſalvâ conſcientiâ operari; quia non poſſet habere judicium conſcientiæ ſingulare cum aſſenſu, ſed circa ſingulare etiam dubitaret; cum dubia autem conſcientia operari non licet. tum probans quod aſſumpſerat ſic pergit; dubitare enim eſt pendere intellectum in utramque partem contradictionis, & nulli illarum determinatè aſſenſum præbere: quia in nulla illarum apparet convenientia prædicati cum ſubjecto; cum qua hæſitatione, ſive ſuſpenſione aſſensus non licet operari. formido verò unius partis non excludit aſſenſum determinatum alterius; ſed formido in eo tantùm poſita eſt, ut aliquis per actum reflexum judicet, rationes illius partis, cujus habet aſſenſum, non eſſe evidentes, ſed tantùm probabiles, & ideo putet fieri poſſe, ut in re ipſa oppoſita pars vera ſit. cùm igitur hæc formido, etiam expreſſa unius partis, non excludat aſſenſum determinatum alterius partis, & cum quovis aſſenſu probabili, qui non attingit evidentiam, formido eſſe poſſit, ſequitur, cum hac formidine poſſe quemlibet operari. ita iſte, honeſtatem actionis formido-

Digitized by Google

midoloſæ præcisè ſalvans per aſſenſum honeſtatis probabilem & opinativum, qui non poteſt eſſe, niſi circa honeſtatem materialem; ergo ad honeſtè operandum hic aſſenſus eſt neceſſarius.

Secundus ex Adverſariis, noſtræ concluſionis propugnator, eſt Sanchez c.9. n.18. iiſdem penè verbis, quibus Vaſq. hic oſtendens, adhoneſtè operandum, ſufficere, & requiri ſolùm aſſenſum probabilem, non obſtante, quòd cum formidine conjunctus ſit, ſic ait: multò verius eſt, judicium practicè probabile cum partis oppoſitæ formidine ſatis eſſe ad rectè operandum. *quippe formido unius partis non excludit aſſenſum determinatum* [en per quid tanquam unicum, & neceſſarium requiſitum, ſalvet operationis honeſtatem] circa aliam; ſed in eo tantùm conſiſtit, ut quis per actum reflexum judicet rationes illius partis, cujus aſſenſum habet, non eſſe evidentes, ſed tantùm probabiles; atque ita poſſe accidere, ut contraria fortè opinio ſit vera. 2. quia cùm prudentia ſit humanorum actuum regula, judicium, quod ſufficit ad prudenter agendum, ſufficit quoque ad honeſtè operandum. At prudens operatio non requirit omnimodam certitudinem, ſed probabili aſſenſu cum alterius partis formidine contenta eſt.

Aliàs vix eſſet, cui operari liceret: cùm res practicæ difficillimæ cognitu, & variis opinionibus ſubjectæ ſint. Nec hic peccandi periculo ſe exponit; quod illi ſoli contingit, qui credit [ſume credulitatem, iuxta ſubjectam materiam, pro formidine, vel judicio, quo judicetur, poſſe eſſe, quod res aliter ſe habeat] aliquid eſſe illicitum, non habens probabilem aſſenſum dictantem, eſſe licitum. ita iſte ab adverſa Parte noſter optimus amicus, à quo inſuper pro nobis citatur Gerſ. tract. de præparatione ad Miſſam. Salas q. 21. tr. 8. S. 4. Medina q. 19. ar. 6. alii.

Tertius de eadem Parte quoad hoc punctum, ex aſſe noſter eſt, Andreas Mendo in Statera opinionum benignarum Diſſert. 13. q. 15. quam ſic inchoat: conſtans eſt apud omnes, nunquam eſſe licitum, operari contra conſcientiam, ſeu dictamen rationis, quo ſcilicet ratio dictat hic & nunc hanc actioné eſſe pravam & fugiendam; quare ſi quis ita judicet falſam opinionem aliorum, ut iuxta id judicium cenſeat; hic & nunc eſſe malum id, quod ea opinio approbat ut licitum, ſanè illud exequi non valet. Subſumo: ſi exequi non valet, judicans eſſe malum; ergo ut exequi poſſit, debet judicare, eſſe bonum, & licitum,

quod

quod oppoſita opinio dicit eſſe licitum: dicit autem eſſe licitum ſecundùm ſe, & materialiter; quia circa hoc opiniones ſunt oppoſitæ; ergo debet judicare, actionem, circa quam exercendam deliberat, hîc & nunc eſſe ſibi materialiter licitam & honeſtam.

Quartus, item ex Adverſariis, nobiſcum eſt, excellentiſſimus, & profundiſſimus Theologus, ut libri titulus habet, Petrus Cornejo, qui tr. 8. d. 3. dub. 1. ad quæſtionem, an conſcientia opinativa, dictans aliquid prohibitum, vel præceptum, obliget? Sic reſpondet: concluſio eſt affirmativa, & communis. itaque peccat, qui facit aliquid, judicans practicè illud eſſe illicitum, prout ab ipſo fit hic, & nunc: quamvis tale judicium non ſit omnino certum, & firmum; ſed cum aliquali formidine de oppoſito, ratione cujus ſuſpicatur, fortaſſe eſſe licitum id, quod judicat illicitum. Probatur [pergit Auctor] concluſio. quia qui operatur contra hujuſmodi conſcientiam, non operatur ex fide, qua credat, opus ſuum eſſe licitum; ergo peccat. conſequentia patet; quia Rom. 14. *omne quod non eſt ex fide*, hoc eſt, ex conſcientia, *peccatum eſt*. ant. prob. quia qui ita operatur, re vera contradicit conſcientiæ, oppoſitum dictanti;

ctanti ; ergo non operatur ex fide , ſed contra fidem. Et confirmatur 1. quia opinans, licèt habeat aliqualem formidinem de oppoſito, tamen ſimpliciter, & abſolutè aſsentitur ſuæ opinioni, & perſuadet ſibi, eam eſse veram ; ergo ſi ex tali opinione practicè judicat, oppoſitum eſse illicitum, ſimpliciter format conſcientiam de illo, tanquam illicito ; ergo malè facit, non conformando ſe tali conſcientiæ ; per fugam nempe talis objecti. Conf. 2. quia qui facit id, de quo practicè dubitat, an ſit illicitum, peccat ; ergo multò magis peccabit, qui non dubitat, quaſi negativè ſe habendo ad utramque partem, nec ulli adhærendo ; ſed poſitivè credit, & exiſtimat, illicitum eſse id, quod facit, prout ab ipſo hîc & nunc fit. ſic pro concluſione noſtra Cornejo. poſtea ſubjungit objectiones, quas, unà cum ſolutionibus, oportet hîc referre, ut videant Adverſarii, quàm bellè & ſuos impugnent, & quàm conjunctis nobiſcum viribus ab illis revincantur. ſic igitur pergit. contra hanc concluſionem arguitur. ſimul cum opinione aſserente eſse illicitum hoc opus, quod hîc & nunc occurrit faciendum, poteſt ſtare opinio contraria ; etiam probabilis, vel etiam probabilior, quæ aſserat oppoſitum, ſcil. illud eſse
lici-

licitum, imò etiam præceptum; ergo ſaltèm in hoc caſu non obligabit conſcientia opinativa. patet conſequentia; quia ſtantibus duabus opinionibus contrariis æquè probabilibus, nulla apparet ratio, ob quam una earum ſit potentior ad obligandum, quàm altera ad excuſandum, vel ad obligandum ad oppoſitum. quomodo ad hoc Cornejo? Sic: reſpondetur, caſum eſse impoſſibilem; quia implicat in eodem intellectu dari ſimul duas opiniones contrarias, tam practicè, quàm ſpeculativè. cujus ratio eſt, quia, cùm de ratione opinionis ſit aſsenſus, & adhæſio uni parti contradictionis, quamquam non ſine aliquali formidine alterius: fieri non poteſt, ut idem intellectus aſsentiatur ſimul duabus contradictoriis ut veris, videlicet iſtis: *illicitum mihi eſt hìc & nunc facere hoc*: *illicitum non eſt mihi hìc & nunc facere hoc*. præterquam, quòd aſsenſus unius opinionis includit diſsenſum alterius, & ſic ſimul eſset aſsenſus & diſſenſus ejuſdem propoſitionis, quod eſt impoſſibile. quamvis enim poſſit quis ſimul aſsentiri uni parti, & habere formidinem de contraria propter aliquam rationem inclinantem ad illam, & etiam poſſit propter rationes utriuſque æqualiter pugnantes neutri parti determinatè

aſſentiri, ſed aſſenſum ſuſpendere, & dubius manere: quòd tamen aſſentiatur determinatè uni parti, & ſimul etiam determinatè aſſentiatur parti contrariæ, omnino eſt impoſſibile. quod magis videtur urgere de dictaminibus practicis conſcientię opinativæ. nam quamvis admitteremus [pergit idem] poſſe eſſe in eodem intellectu ſimul duas opiniones contrarias ſpeculativè, quarum una judicet probabiliter aliquod opus in communi eſſe illicitum, & altera judicet idem opus eſſe licitum; impoſſibile tamen eſt omninò, quòd practicè, & in particulari judicet quis determinatè, ſibi eſſe illicitum hîc & nunc, penſatis omnibus circumſtantiis, & opinionibus facere hoc opus; & quòd ſimul etiam judicet omnibus ſimiliter penſatis, non eſſe illi illicitum; quia in hoc clarior eſt ratio implicationis. Quomodo nos poſſemus meliùs loqui pro nobis? en, qui judicat, actionem hîc & nunc eſſe illicitam; aut qui dubitat, vel abſtrahit, an ſit licita, non poteſt illam licitè facere; ergo ut licitè faciat, debet judicare, eſſe licitam. Si enim judicat, illam hîc & nunc eſſe illicitam, judicat illam [loquendo de materia gravi] eſſe graviter, & ſub pœna odii divini, & æternæ damnationis prohibitam;

tam;

tam ; quomodo igitur cum hoc judicio ſimul poterit judicare, illam à ſe licitè fieri, hoc eſt, non poſſe ſibi hîc & nunc ad pœnam imputari, quod ſibi hîc & nunc ſub pœna damnationis æternæ judicat prohibitum?

Omitto plures pro nobis ex Adverſariis nominare; cùm ſatis ſit, noſtram concluſionem à Cornejo, uno ex illis, dici communem, ut vidimus. Si quis expreſſiorem confeſſionem cupiat, nobilem Criſim Pauli Adriani, priore anno editam, adeat; inveniet ibi pag. 128. Probabiliſtam, qui fateatur, ſe nullum Authorem vidiſſe, qui docuerit, poſſe aliquem licitè operari ſecundùm opinionem, quam judicat, eſſe falſam. quod eſt operari id, quod judicat illicitum.

ARTICULUS III.

Utrum judicare, actionem probabiliter eſſe materialiter honeſtam, ſit idem, in ſenſu philoſophico, ac judicare opinativè, illam eſſe honeſtam?

RESPONDETUR. quòd non. probatur. Si judicare, actionem probabiliter eſſe materialiter honeſtam, eſt idem, ac opinari, ſive judicare opinativè

tivè, illam eſſe honeſtam, ſequitur, poſſe aliquem ſimul judicare, prudenter ac verè, contradictoria. poteſt enim utrinque dari probabilitas; ergo poterit aliquis, illâ cognitâ, verè ac prudenter judicare, & affirmare, actionem probabiliter eſſe honeſtam, & probabiliter eſſe inhoneſtam: nam hujus affirmationis ſenſus eſt, *dari probabilitatem pro honeſtate, & dari probabilitatem pro negatione honeſtatis*: ergo ſi judicare, actionem probabiliter eſſe honeſtam, idem eſt, ac opinari, ſive judicare opinativè, illam eſſe honeſtam, ſequitur, quòd prudenter judicet, ac opinetur ſimul, illam eſſe honeſtam & inhoneſtam; ſiquidem prudenter judicet ſimul, probabiliter eſſe honeſtam, & probabiliter eſſe inhoneſtam. atqui non eſt prudens judicium, quo aliquis judicat, & opinatur impoſſibilia: cùm ergo impoſſibile ſit, idem eſſe honeſtum & eſſe inhoneſtum, nemo poterit hoc prudenter affirmare, nec aſſenſu certo, nec aſſenſu opinativo; quia opinio, cùm ſit aſſenſus probabilis, non poteſt habere locum, ubi datur evidentia impoſſibilitatis: datur autem de hoc, quod eſt, *idem eſſe honeſtum, & eſſe inhoneſtum*; ergo non poteſt hoc, ne quidem per aſſenſum opinativum affirmari; ergo affirmare, actionem probabiliter eſſe ho-

neſtam

neſtam, non eſt idem, ac affirmare ſaltèm opinativè, illam eſſe honeſtam. Conf. ſi affirmare, aliquid probabiliter eſſe, eſt idem, ac affirmare, ſaltèm opinativè, illud eſſe; ſequitur eandem propoſitionem eſſe ſimul veram, & ſimul falſam; quod utique eſt contra omnem Philoſophiam. Sequela probatur. Si de homine perverſo, qui ſecundùm Dei præſcientiam ſalvabitur, dicam, *probabile eſt, quòd hic homo damnabitur*, verum dicam; quia vita perverſa eſt, ut nunc ponimus, probabile indicium perditionis: & tamen ſi hoc idem ſit, ac dicere ſaltèm opinativè, *hic homo damnabitur*, falſum dicam; quia ſecundùm Dei præſcientiam ſalvabitur, ut etiam ponimus: ergo evidens eſt, quòd dicere, ac judicare, aliquid probabiliter eſſe, v.g. honeſtum, non ſit idem, ac dicere, vel judicare, id eſſe honeſtum: quod fit, dum quis opinatur; nam opinans, eſſe, affirmat, eſſe: cùm non affirmet ſuam opinionem, ſed rem, quam opinatur.

In re tam clara non indigemus nube Teſtium. producam tamen duos ex Adverſariis, in quorum ore facilè ſtabit hoc verbum.

Primus eſt, qui nuper ultimus, Petrus Cornejo Diſp. 3. cit. dub. 1. qui ad hanc objectionem: *poteſt quis ſimul judicare*,

care , utramque opinionem eſſe probabilem , propter rationes , & auctoritates utriuſque , ad quas ſimul advertit ; ergo poteſt utrique aſſentiri ſimul , aſſenſu opinativo . Sic reſpondet : nego conſequentiam . aliud enim eſt, cognoſcere & judicare de probabilitate alicujus concluſionis ; aliud verò opinari de veritate illius, ſeu aſſentiri illi probabiliter , ſeu opinativè . ſicut aliud eſt veritas concluſionis , & aliud probabilitas veritatis illius . nam qui opinatur, determinatè aſſentitur uni parti tanquam veræ, judicando abſolutè, illam eſſe veram , licèt cum formidine alterius partis : qui autem cognoſcit probabilitatem concluſionis , non ideo aſſentitur illi determinatè , ut veræ , ſed ſolùm aſſentitur illius probabilitati , judicans, illam eſſe probabilem. ita primus.

Secundus eſt Franc. Bardi Diſcept. 4. ar. 10. n. 4. ubi explicans , quomodo ſe habeat ad veritatem judicium , quo quis judicat aliquam opinionem eſſe probabilem ; ſic ait : Addo , judicium prædictum , prout extenditur ad veritatem , non eſſe abſolutum , ſed modale . nam per tale judicium , intellectus non determinat abſolutè rem ita eſſe , v.g. rem illam eſſe honeſtam in ſe , & opinionem de tali honeſtate eſſe abſolutè veram ; ſed determinat cum addito ; nempe probili-

babiliter rem ita eſſe, hoc eſt, eſſe probabile, quòd ſit honeſta. *Has autem propoſitiones inter ſe eſſe diverſas, eſt manifeſtum*. in prima enim prædicatur honeſtas de re, & veritas de opinione. in ſecunda verò prædicatur probabilitas de re, & de opinione. non enim dicitur v. g. continuatio cambiorum eſt licita, ſeu opinio, affirmans continuationem, eſt vera; ſed tantùm: continuationem cambiorum eſſe licitam, ſeu honeſtam, eſt probabile, & opinionem de tali honeſtate, probabile eſt, eſſe veram. Fundamentum omnium horum (pergit) eſt diverſitas, quæ reperitur inter veritatem, & probabilitatem. nam veritas conſiſtit in connexione, ſeu convenientia prædicati cum ſubjecto. at probabilitas non conſiſtit in tali convenientia, ſed in eo, quòd motiva ſuadentia honeſtatem ſint gravia, & apta ad prudens judicium de ipſis formandum. ita iste, clarè teſtificans, manifeſtum eſſe, quòd aliud ſit, judicare, actionem aliquam, eſſe probabiliter honeſtam, & aliud, judicare, illam eſſe honeſtam.

Dices. probabiliter judicare, idem eſt, quod opinari, ſive judicare opinativè; ergo probabiliter judicare, aliquam actionem eſſe materialiter, & re ipſa honeſtam, eſt opinari, ſive judica-

re

re opinativè, illam eſſe materialiter honeſtam. Conc. totum. Ergo judicare, actionem probabiliter eſſe materialiter honeſtam, idem eſt, ac judicare opinativè, illam eſſe honeſtam. hoc nego. quia *judicare probabiliter*, aliud eſt, ſi *to probabiliter* componatur cum *judicare*, & aliud, ſi ab eo diviſum, componatur cum illis, quæ ſequuntur. primo modo ſignificat *opinari*; quia qui dicit: *judico probabiliter, hunc actionem eſſe materialiter honeſtam*, explicat modum ſui judicii, & dicit, illud eſſe aſſenſum probabilem, ſeu opinativum de honeſtate. qui verò dicit: *judico, probabiliter hanc actionem eſſe materialiter honeſtam*, non explicat modum ſui judicii de honeſtate, ſed præcisè dicit, ſe habere judicium de probabilitate honeſtatis materialis: non eſt autem idem materialis honeſtas, & probabilitas de illa; ergo judicare de probabilitate; nondum eſt judicare de honeſtate materiali. nam judicium de honeſtate materiali, eſt opinativum; de hac enim conſcientia nunc agimus: ergo ſi hoc ipſum eſt de probabilitate, erit de probabilitate opinativum judicium: ergo erit probabile, quòd ſit probabile, actionem eſſe materialiter honeſtam: atqui tale judicium ne quidem ſecundùm Adarios eſt ampliùs ſufficiens ad ho-

neſtè

neſtè operandum ; ergo.

Similiter in rigore philoſophico non eſt idem, *propoſitionem aliquam vel opinionem eſſe probabilem*, &, *probabile eſſe, quod illa propoſitio vel opinio ſit vera*. ſi enim utraque propoſitio vel opinio, tam affirmans, quàm negans honeſtatem, ſit probabilis; non hoc ipſo etiam probabile eſt, utramque eſſe veram. quia hoc in contradicentibus ſibi invicem propoſitionibus, evidenter implicat: evidens autem implicantia probabilitatem tollit; ergo licèt utraque propoſitio, vel opinio, tam affirmans, quàm negans honeſtatem, ſit probabilis, ita ut qui dicit probabilem unam, non hoc ipſo debeat alteram dicere improbabilem, ſed ſimul, cum priore ſuo judicio, poſſit rectè etiam ipſam dicere probabilem; non tamen etiam eſt probabile, utramque eſſe veram, ita ut qui opinatur, ſeu opinativè dicit, veram unam, poſſit, cum hoc judicio opinativo, ſimul etiam opinari, ſive opinativè dicere, veram alteram. Unde licèt hæc ſe conſequantur: *iſta propoſitio, vel opinio eſt probabilis, ergo eſt probabiliter vera, ergo etiam probabile eſt, eſſe veram*: tamen hæc conſecutio non eſt univerſalis, & ratione materiæ poteſt impediri; ut ex dictis conſtat. non enim ſequitur: *utraque ſimul*

mul eſt probabilis, ergo probabile eſt, utramque ſimul eſſe veram. Et quia ex hac, *utraque ſimul eſt probabilis*, rectè videtur inferri, *ergo utraque ſimul eſt probabiliter vera*; conſequens eſt, etiam has, *eſt probabiliter verum*, &, *probabile eſt, eſſe verum*, non ſemper eſſe æquivalentes. nam hæc *utraque ſimul eſt probabiliter vera*, habet hunc ſenſum, *utraque ſimul & conjunctim, tam affirmans, quàm negans, habet apparentiam veritatis*. & hoc verum eſt, quia neutra alteri eripit ſuam apparentiam. hæc autem, *probabile eſt, utramque ſimul eſſe veram*, non de apparentia, ſed de ipſa veritate loquitur, & dicit, eam ſub opinione, ſeu per aſſenſum opinativum, probabilem, ac prudentem, utrique ſimul tribui poſſe; ita ut aliquis prudenter opinetur, veram eſſe affirmantem, & ſimul prudenter opinetur, veram etiam eſſe negantem. quod videt evidenter repugnare; & per conſequens non poteſt habere pro probabili, ſive opinari. ergo patet, *probabile* non ſemper converti cum *opinabili*. licèt ergo, etiam in ſenſu compoſito & comparativè, utrumque ſit probabile, quod hæc, & illa opinio dicit, hæ, & illæ rationes ſuadent, &c. non tamen etiam utrumque eſt opinabile. Si autem tantùm unum eſt opinabile, & alterum reiicien-

ciendum cum falſitatis infamia, reſtat, ut intellectus, tanquam prudens judex determinet, cui hæc nota inurenda, & cui veritatis honor aſſerendus ſit; num damnanda mendacii opinio, notabiliter majora veritatis teſtimonia proferens; & abſolvenda, ac veridica habenda, quæ multò minùs dicit ſimiliter vero? perinde, ac ſi virum graviorem, & clarè majoribus momentis fidem aſſerto ſuo adſtruentem, diceremus mentiri: minùs verò gravem, ei contradicentem, v. g. de facta ſolutione debiti, & notabiliter minoribus indiciis ſua comprobantem, diceremus afferre vera. quis nos non judices iniquos, & falſi magis quàm veri amicos proclamaret? ſed de his poſtea.

ARTICULUS IV.

Utrum ſaltèm in ſenſu morali idem ſit, judicare, actionem probabiliter eſſe materialiter boneſtam, & judicare opinativè, illam eſſe boneſtam?

QUIA oſtenſum eſt, Adverſariorum quoque confeſſione, ad actum moraliter honeſtum requiri judicium, quo operatio cenſeatur re ipſa

hic

hîc & nunc eſſe honeſta ; & quia judicare, ipſam eſſe *probabiliter* hic & nunc re ipſa honeſtam, nondum eſt in rigore philoſophico judicare, ipſam eſſe honeſtam : ideo reſtat examinandum, an ſaltèm in ſenſu morali tale judicium, probabilitatis de honeſtate, quaſi hîc & nunc exiſtente, æquivaleat judicio, ſimplicìter & abſolutè honeſtatem hîc & nunc affirmanti ? Hoc enim ſi ita ſit, facile erit oſtendere, quomodo aliquis, licèt judicet, actionem ſuam hîc & nunc eſſe re ipſa & materialiter inhoneſtam, tamen illam honeſtè exequatur. quia aget adhuc ſecundùm conſcientiam honeſtatis materialis ; non quidem abſolutam, & philoſophicam, qua affirmet ipſam honeſtatem, ſed moralem, & philoſophicæ æquivalentem, qua affirmet probabilitatem honeſtatis materialis, quæ affirmatio æquivaleat honeſtati ſimpliciter affirmatæ.

Pro quo ſervire poteſt diviſio communiter recepta ; qua dividitur verum in ſpeculativum, & practicum. ſpeculativum conſiſtit in reali conformitate actus ad objectum ; & attenditur à Philoſophia. practicum conſiſtit in æſtimatione rei, tanquam hîc & nunc, perpenſis diligenter omnibus, prudenter & rationabiliter faciendæ, aut omittendæ,

hone-

honeſtæ, vel inhoneſtæ. & hoc judicium, licèt quandoque re ipſa fallatur, nec habeat illam conformitatem, quam veritas per ſe, & ſecundùm conſiderationem philoſophicam requirit; tamen in genere moris eſt verum; quia qui dicit eſſe, quod conſideratis diligenter omnibus, apparet eſſe, cenſetur in ordine ad praxin verum dicere. in exemplo. ſi quis omnibus, quantum moraliter potuit, conſideratis, invincibiliter judicet, licitum ſibi eſſe, miſericordi & pio mendacio parentem in vita ſervare, licitè mentietur, & quod judicat, verum erit practicè, quamvis ſpeculativè falſiſſimum ſit; cùm mentiri nullius rei causâ liceat. Sic igitur quamvis judicare, actionem *probabiliter* eſſe materialiter, ſive hîc & nunc honeſtam, in rigore philoſophico non ſit idem, ac judicare, illam eſſe honeſtam; tamen moraliter videtur pro eodem accipi poſſe. qui enim judicat, actionem prudenter à ſe eſſe eligibilem, tanquam honeſtam, æquivalenter judicat, illam eſſe honeſtam: ſed qui judicat, illam eſſe probabiliter honeſtam, judicat, illam prudenter à ſe eſſe eligibilem: vera enim probabilitas prudens electionis judicium fundat; ergo. Quare ſicut non ageret contra conſcientiam, qui (ponamus impoſſi-

impoſſibile iſtud) habens duo judicia, unum de inhoneſtate, alterum de honeſtate actionis, actionem faceret, ſecutus in agendo hoc alterum judicium, priore neglecto: ita etiam non aget contra conſcientiam, qui judicans, actionem eſſe re ipſa hic & nunc inhoneſtam, judicat ſimul, probabiliter illam eſſe honeſtam; quia ſequens hoc judicium probabilitatis de honeſtate, æquivalens moraliter judicio categorico honeſtatis, jam habebit conſcientiam, in ordine ad praxin, veram, ſecundùm quam operans honeſtè operetur. & hoc judicium, prout eſt judicium de probabilitate, erit certum, vel evidens: prout autem æquivalenter & moraliter eſt judicium de honeſtate, erit opinativum. & ſic ſalvari poterit, quomodo talis, non obſtante entitativa, & phyſica evidentia vel certitudine ſui judicii, tamen operetur ſecundùm judicium, & conſcientiam opinativam.

Hic modus loquendi ſecundùm aliquid laudabilis eſſe videtur. quantum enim apparet, nobiſcum judicat, non poſſe, in concurſu notabiliter excedentium motivorum, aſſenſum categoricum formari ſecundùm rationes minùs probabiles. nam ſi poſſit, formetur; & non erit neceſſe ad aſſenſum tantùm æquiva-

len-

lentem confugere. Si verò non poſſit; meritò redarguuntur Adverſarii, quòd aſſenſum, qui prudenter elici non poteſt, velint moraliter pro prudenti & elicito haberi. qualis enim iſta combinatio? ſimilis planè huic: non poſſum prudenter dicere, Petrum eſſe hominem nequam; ergo moraliter dico; illum eſſe hominem nequam.

Itaque reſpondeo, judicare, actionem probabiliter eſſe hîc & nunc ſecundùm ſe & materialiter honeſtam, non eſſe in ſenſu morali idem, ac judicare, illam eſſe honeſtam. Hæc concluſio in duplici ſtatu accipi poteſt. primò, ſi ponatur, quòd aliquis præcisè judicet, actionem eſſe probabiliter ſecundùm ſe honeſtam, nullum habens actum categoricum, nec de honeſtate, nec de inhoneſtate. ſecundò, ſi ponatur, quòd cum judicio probabilitatis de honeſtate, habeat ſimul actualem aſſenſum inhoneſtatis. & de utroq; procedit aſſertio; quam probabimus primò de ſecundo; poſtea de primo.

Sic igitur argumentor. qui judicat omnibus accuratè perpenſis, actionem eſſe illicitam & inhoneſtam, judicat probabilitatem, quæ pro honeſtate datur, eſſe caſſam, & deſtitutam veritate: non enim poteſt judicare, eſſe hoc, & eſſe oppoſitum ejus: ſed judicare, probabilita-

Digitized by Google

rem eſſe caſſam, & deſtitutam veritate, & præter veritatis umbram nihil habere, eſt judicare, talem probabilitatem re ipſa eſſe conjunctam cum falſitate: judicium autem, quo aliquis, virtualiter & æquivalenter, judicat, falſum eſſe, quòd actio hîc & nunc ſit honeſta, non æquivalet moraliter judicio, quo judicatur, verum eſſe, quòd actio ſit honeſta; nam Theologia in negotiis conſcientiæ fucos & larvas, & perſonatam falſitatem, & malum angelum transfiguratum in angelum lucis non æſtimat, nec pro bono amplectitur; ergo ſi actio judicetur inhoneſta, judicium probabilitatis de honeſtate, nullo modo æquivalet judicio de honeſtate actionis, nec reddit hominem excuſabilem, quaſi adhuc egiſſet prudenter. nunquid judicans, omnes nuces, ſibi à venditore propoſitas, eſſe caſſas, & vermibus animatas, prudenter illas emeret, ob probabilitatem, quòd nucleum ſincerum contineant, quam probabilitatem judicaret, hîc & nunc nihil probare, & tam inanem eſſe veritatis, quàm inanes fructu judicaret nuces? nunquid hoc, quod judicatur inhoneſtum, eligere, quia probabilitatem honeſtatis habet, quæ hic & nunc umbra tantùm cenſetur eſſe honeſtatis, idem eſt, ac velle inhoneſtatem, non quidem

nudam,

nudam, aut propriis pictam coloribus, ſed quadam honeſtatis apparentia palliatam, ad excuſandas excuſationes in peccatis? quis bibit, quod venenum judicat, modò ſaltèm, vel quòd ſaltèm ſub ſpecie & apparentia vini propinetur? an prudens eſſet electio, quam faceret Paterfamilias, ita ſecum, ex magnis, & gravibus inditiis judico, Petrum eſſe hominem furacem & libidinoſum; quia tamen probabile eſt, quamvis ex inditiis notabiliter minoribus, illum eſſe fidelem & continentem, ideo ipſum conduco pro meo ſervo, & ipſi totam rei domeſticæ adminiſtrationem committo, nec cum uxore, aut filia nubili converſationem reſtringo? quomodo igitur reputabitur prudens, qui, quod judicat inhoneſtum, ex eo facit, quia habet quandam umbram, ſeu probabilitatem inanem honeſtatis; ex qua certiſſimum ſibi fingat privilegium peccandi, non quidem ſimpliciter, ſed ſub fuco honeſtæ actionis?

Argumentor 2. nulla pars contradictionis moraliter includit, & compatitur ſecum alteram partem contradictionis, utpote ſibi extremè oppoſitam, & quam eſſentialiter excludit: ſed judicium, quo dico, actionem hîc & nunc eſſe inhoneſtam, contradictoriè opponitur judicio, quo dico, actionem hîc &

nunc eſſe honeſtam ; ergo prius judicium non includit moraliter, nec compatitur ſecum iſtud judicium ſecundum. compateretur autem, & moraliter includeret, ſi judicare, actionem probabiliter eſſe hîc & nunc honeſtam, moraliter & æquivalenter idem eſſet, ac judicare, actionem hîc & nunc eſſe honeſtam : nam judicium de inhoneſtate, ſecundùm adverſarios, optimè ſtat cum judicio probabilitatis de honeſtate; ergo ſi hoc judicium probabilitatis moraliter & æquivalenter eſt judicium de honeſtate, optimè ſtabit una pars contradictionis cum altera ſibi extremè oppoſita, & quam eſſentialiter excludit, eritque optima ſocietas lucis ad tenebras, contra Apoſt. 2. Cor. 6.

Argumentor 3. ſi probabilitas honeſtatis, conjuncta cum judicio inhoneſtatis, moraliter eſt judicium honeſtatis, & ſufficiens ad actionem honeſtandam, ſequitur, quòd conjugatus honeſtè poſſit accedere ad eam, ad quam judicat inhoneſtum accedere, utpote non ſuam; modò probabile illi ſit, eſſe honeſtum ad illam accedere, tanquam ſuam : ſed accedere ad eam, ad quam aliquis judicat inhoneſtum accedere, abſurdum eſt; ergo probabilitas honeſtatis conjuncta cum judicio inhoneſtatis non facit actionem eſſe honeſtam, nec moraliter reputatur

tatur

tatur pro judicio honeſtatis.

Defendamus nos, omiſſis aliis rationibus, ſubſidio adverſariorum. ex quibus Martinus Eſparza in append. a. 140. ſic pro nobis: *eſt planè chimericum*, ut conformare quis liberè poſſit electionem ſuam cognitioni, ſeu opinioni, quæ non datur in eligente, nec prælucet eidem electioni ex parte actus primi, utque exerceat immediatam aliquam cauſalitatem, ſeu directivam, ſeu formalem, ſeu efficientem in actum voluntatis ea cognitio, ac opinio, quæ volenti ipſi non ineſt, *& cujus potiùs contraria ineſt, dum elicit talem actum*; ergo ut quis licitè eligat opinionem minùs probabilem, & ab ea dirigatur ad volendum, & agendum, vel omittendum aliquid, *debet priùs illam opinionem elicere, eique aſſentiri ut veræ, quòd ſcil. objectum in ſe à parte rei ſit honeſtum*. nec ſufficit (pergit idem a. 143.) quòd ab alio gravi Doctore fuerit cognitum & judicatum honeſtum; quia actus voluntatis non ſpecificatur ex objecto, prout repræſentato, ſeu applicato, ac propoſito per alienam, ſed per propriam ipſius volentis cognitionem, *eamque directam, & non reflexam*, actus enim volentis operari, fertur ad operationem iſtam, eamque vult ſecundùm ſe, & non præciſè ut de-

 nomi-

nominatam per cognitionem; atque ut velit operationem, neceſſe eſt, ut dirigatur cognitione, eandem repræſentante, ſeu applicante, ac proponente, utque ea cognitio inſit ipſi volenti, eique proponat operationem ſecundùm ſe, & non præcisè ut denominatam per aliquam aliam cognitionem. ita iſte, ecce, ex ore Probabiliſtæ, multùm celebris, *chimericum eſt*, dicere, quòd liceat ſe conformare opinioni, cujus contrarium judicatur verum.

Pro nobis etiam militat ex adverſariis Franc. Bardi Diſcept. 4. c. 16. à P. Illſung. tr. 1. d. 1. a. 6. §. 5. n. 53. immeritò pro adverſariis citatus, inſpecto fortaſſis ſolo Summario illius capitis, in quo, errore typographico, ſic habetur: *retinens judicium de falſitate alienæ opinionis, eo non depoſito, neque per intrinſeca, neque per extrinſeca principia, poteſt contra illud operari*. Sed in ipſo Corpore habetur negativa, ſic: *dicendum eſt, ſi quis retineat judicium de falſitate alienæ opinionis, & tale judicium neque per intrinſeca principia, neque per extrinſeca deponat; non poteſt licitè operari ſecundùm opinionem illam*. tum citato Averſa, eripit adverſariis, quem indicato tract. pro ſe citant, Vaſquez in his verbis: & Vaſquez procul dubio tenet hoc d. 62. c. 3. n. 19. (lege 11.)

Digitized by Google

(lege 11.) nam affirmans, poſſe nos operari, contra opinionem propriam, ſecundùm aliorum ſententiam, vult à nobis alienam opinionem æſtimandam eſſe probabilem. (hoc eſt, ut infra declarabo, ubi ipſius Vaſquezii verba adduxero, aſſenſu probabili, determinato, & firmo recipiendam.) poſtea probans ſuam concluſionem, ſic pergit: oſtenditur autem ratione, quia perſiſtente judicio de falſitate, & nullo adhibito judicio *contrario*, (quale non eſt judicium de probabilitate) operatio erit contra dictamen conſcientiæ, atque adeò mala: ergo ſi tale judicium non deponatur, per intrinſeca, aut per extrinſeca principia, non poterit homo licitè operari. Secus autem dicendum eſſet, ſi cum judicio illo de falſitate concurreret aliud judicium contrarium, quo quis exiſtimet, poſſe ſe decipi, & ex hoc formet judicium probabile de illa opinione. Ecce, debet formare judicium probabile de illa opinione. quid autem eſt hoc judicium; num judicium de probabilitate? nullo modo: nam judicium de probabilitate eſt certum, vel evidens: aut ſi tantùm ſit probabile, non erit ſufficiens, etiam ſecundùm adverſarios; quia non tantùm requirunt, eſſe probabile, quòd ſit probabile, ſed volunt, hoc eſſe, cer-

Digitized by Google

tum aut evidens: ergo debet haberi judicium probabile de illa opinione, hoc eſt, debemus illi opinioni aſſenſu probabili, & firmo adhærere, idemque ſentire, & verum judicare, quod ipſa aſſerit eſſe. Non ergo, ſecundùm ipſoſmet adverſarios, aſſenſus probabilitatis de honeſtate, moraliter æquivalet aſſenſui honeſtatis: aliàs hunc aſſenſum non exigerent determinatè ſuperaddi.

Vaſquez quoque in hóc puncto pro nobis contra ſuos eſt. ait enim cit. d. 62. c. 3. quòd ad hoc, ut aliquis contra propriam opinionem, ſequatur alienam, non ſufficiat judicare, alienam opinionem eſſe probabilem, ſed quòd requiratur inſuper, ut ſaltèm per principia extrinſeca, hoc eſt, propter auctoritatem, formet ſibi judicium opinativum, conjungibile cum formidine oppoſiti, ut conſtat ex toto cap. 5. quo judicet hìc & nunc actionem eſſe honeſtam & licitam, ſi non propter rationes intrinſecas, tamen propter auctoritatem. ejus verba ſunt hæc; ut aliquis rectè operetur relicta propria opinione, & ſequendo alienam, debet formare ſibi judicium aliquod conſcientiæ ſingulare, quo determinato aſſenſu credat, & exiſtimet, licitum eſſe ſibi in eo caſu ſequendo opinionem alienam operari; alio-

alioquin, ſi hoc judicium non haberet, operaretur contra conſcientiam, quod nulla ratione licet. Hoc autem judicium ſingulare conſcientiæ non poterit quis colligere per propria principia, ſi perſeveret in ſua opinione; quia cum univerſali opinione, qua quis credit per propria principia, reſtituendum v. g. digniori, qui in electione prætermiſſus fuit, impoſſibile eſt habere judicium ſingulare per propria principia, quo credat, huic digniori non eſſe reſtituendum. Supereſt igitur, ut ſi tale judicium cum contraria opinione (hoc eſt, cum opinione aliena, ſive aliorum, ſic ex oppoſito Sentientium) haberi poſſit, per extrinſeca principia habendum ſit: ex eo nimirum, quòd credimus opinionem contrariam eſſe probabilem ob auctoritatem eorum, qui eam ſequuntur. (hoc eſt, eliciendo aſſenſum particularem de honeſtate actionis cum contraria opinione, ex hoc univerſali motivo, quòd illa opinio ſit probabilis, & quòd cum opinione probabili rectè aliquis conſentiat.) ut ipſemet ſe declarat c.4. n. 14. adeòque talis ſic diceret: *ſi judicium petatur ex rationibus utriuſque partis, judico actionem eſſe hic & nunc inhoneſtam, & opinionem contrariam eſſe falſam. Sed tamen quia opinio contraria habet graves*

pro ſe Auctores, *qui ipſam*, *licèt quoad rationes ſuccumbat*, & *inferior ſit*, *adhuc reddunt probabilem*, *ideo fero judicium ex auctoritate*, & *dico*, *actionem hìc* & *nunc eſſe honeſtum*, & *opinionem*, *id aſſerentem*, *eſſe verum*. quæ duo judicia (ſi aliunde prudenter haberi poſſint, de quo poſtea videbimus) non ſunt incompoſſibilia; quia non ſunt ſimpliciter abſoluta utraque, ſed unum eſt quaſi conditionatum, & alterum eſt abſolutum: dicitur enim, ſive explicitè ſive implicitè, ſive formaliter ſive virtualiter: *Si ex rationibus judicarem*, *dicerem*, *actionem eſſe inhoneſtam*, & *opinionem contrariam eſſe falſam*: *ſed quia ex auctoritate*, *non verò ex rationibus*, *judico*, *dico actionem eſſe hìc* & *nunc honeſtam*, & *opinionem contrariam eſſe veram*. Unde talis ſecundùm quid perſeverat in opinione propria, quam habet de inhoneſtate; quia adhuc ſentit illam affirmandam, ſpectando rationes, & ſi ex illis procedatur: ſimpliciter verò illam deponit; quia hìc & nunc non judicat ſecundùm rationes, ſed ſecundùm auctoritatem, ſecundùm quam, & cum qua dicit, actionem eſſe honeſtam ergo, cùm ad judicium, quo quis dicit, *actionem probabiliter eſſe honeſtam*, *ſive opinionem honeſtatis eſſe probabilem*, accedere debeat *determinatus aſſenſus probabilis*,

quo

quo cum illa opinione probabili judicetur actio eſſe honeſta, clarum eſt, quòd judicare, *actionem probabiliter eſſe honeſtam*, non ſit moraliter idem, ac judicare, illam eſſe honeſtam; maximè in compoſitione judicii actualis de inhoneſtate, quod in tali caſu unicè haberet rationem conſcientiæ, & ad quod deponendum, ne contra conſcientiam agatur, requiritur aſſenſus oppoſitus probabilis, ſive aliquo modo formidoloſus, per principia extrinſeca formatus: ut hic auctor c. 5. ad finem habet his verbis: extrinſeca principia, quibus aliquis utitur, ut colligat judicium contra propriam opinionem, ad hoc tantùm deſervire poſſunt, ut colligi poſſit determinatus aſſenſus in judicio ſingulari, quo credatur, licitum eſſe tunc operari contra propriam opinionem; licèt extrinſeca illa principia non excludant omnino formidinem. ita Vaſquez.

Superaddo Ferd. Caſtro Palao to. 1. d. 2. p. 2. n. 4. judicas, inquit, probabilius, ſi ad beneficium eligas dignum omiſſo digniori, te eſſe obligatum reſtituere; alia opinio affirmat, te non eſſe obligatum: eſſe, & non eſſe obligatum, manifeſtam contradictionem involvit; ergo non poteſt ſimul ab uno intellectu judicari. bene tamen ſtat, te judicare,

tuam opinionem eſſe probabiliorem altera, & alteram eſſe minùs probabilem: at hoc judicium nec dirigit opus ſe ſolo, neque eſt judicium *probabile*, de quo loquimur; ſed eſt judicium evidens: evidenter enim judicas, tibi probabilius apparere, obligatum eſſe ad reſtitutionem, & aliorum ſententiam deobligantem, probabilem apparere. quòd autem inſufficiens ſit ad regulandam actionem ſe ſolo, probo, inquit Palao. nam ſi probabilius judicabas te eſſe obligatum reſtituere; ut ab hac obligatione eximaris, debes judicare, te non eſſe obligatum. non enim ſufficit, ſi judices, alios ſentire, te non eſſe obligatum, niſi tu ſentias, te obligatum non eſſe; aliàs contra propriam conſcientiam faceres ex aliorum opinione operando. ergo ſi retineas tuam probabilem, vel probabiliorem ſententiam de obligatione, nequis ſimul aſſentiri, obligatum non eſſe, ſed ad ſummum poteris aſſentiri, alios judicare, te obligatum non eſſe, quod non eſt ſufficiens ad honeſtandam actionem. quapropter cùm ſecundùm opinionem aliorum vis operari, judicium tuum probabile, ſeu probabilius de obligatione ſuſpendere debes, & potes, cùm non ſit evidens & clarum, & conſequenter non neceſſariò rapiens intellectum.

lectum. ita Palao. clarè affirmans, judicium probabilitatis, non eſſe judicium honeſtatis, de quo ſermo eſt; nec ſufficere ad regulandam actionem; & debere haberi judicium probabile de bonitate objecti, hoc eſt ut loquitur n. 1. quòd hîc & nunc ſit licitum operari; ergo judicium probabilitatis de honeſtate, conjunctum cum judicio inhoneſtatis non eſt moraliter judicium de honeſtate.

Jam verò, quòd neque abſente judicio de inhoneſtate, idem ſit, oſtendamus. Itaque probatur 1. Si judicare, actionem probabiliter eſſe honeſtam, eſt idem moraliter, ac judicare, illam eſſe honeſtam, in caſu, quo non habetur judicium de inhoneſtate; tunc etiam judicare, actionem probabiliter eſſe inhoneſtam, erit moraliter idem, ac judicare, illam eſſe inhoneſtam, modò non habeatur judicium de honeſtate: ſed hæc duo *judicare, actionem probabiliter eſſe honeſtam, & judicare, actionem probabiliter eſſe inhoneſtam*, bene ſtant ſimul, ſecundùm adverſarios; ergo ſi hæc duo moraliter idem ſunt, ac judicare, actionem eſſe honeſtam, & inhoneſtam, bene ſtabunt ſimul, in æſtimatione morali, & conſcientiæ directione, contradictoria.

Probatur 2. judicare, actionem probabiliter eſſe honeſtam, ſuſpenſo adhuc

aſſen-

aſſenſu de honeſtate & inhoneſtate, convenit cum dubio: hoc enim eſt ſuſpenſio aſſensûs, & diſſensûs, conſideratis utrinque rationibus, & illarum probabilitate, vel meritis, ſi adſint aliquæ rationes: ſed dubium in moralibus, non æquivalet judicio, & aſſenſui, vel diſſenſui; aliàs liceret operari cum dubio: quod cum omni Theologia rectè negant adverſarii; ergo judicare, actionem probabiliter eſſe honeſtam, non eſt moraliter idem, ac judicare, illam eſſe honeſtam, etiam in caſu, quo non habetur judicium de inhoneſtate actionis.

ARTICULUS V.

Utrum ſaltèm ex hoc, quòd judicetur, actionem probabiliter eſſe hìc & nunc honeſtam, formari aliud judicium poſſit, reflexum, quo judicetur, actionem hìc & nunc eſſe honeſtam; licèt id per primum judicium, probabilitatis nimirum, nec in ſenſu philoſophico, nec in morali judicetur?

EST hoc præcipuum munimentum adverſariorum, quo ſe prorſus inexpugnabiles exiſtimant. huc igitur dirigenda erunt tormenta, ſi quid proficere velimus.

Ut verò clarè procedamus, neceſſarium

rium eſt, mentem adverſariorum fideliter exponere, ne, quod apud P. Illſung a. 6. §. 9. faciunt, contra nos quærantur, quòd ipſorum ſententiam nec rectè referamus, neque rectè impugnemus.

Dicunt igitur, eſſe faciendum diſcrimen inter probabilitatem abſolutam, & inter probabilitatem comparativam. illam, volunt, nihil aliud importare, quàm ad ſummum rationem magni momenti, quæ talis ſit, ſi abſolutè, & ſeorſim ſpectetur: interea verò vel omninò enervetur, vel magnoperè attenuetur, ſi audiantur ſolidæ reſponſiones, quibus ſolvitur; & præterea conſiderentur rationes contrariæ, ab oppoſita parte illius probabilitatis abſolutæ, non ſufficienter ſolubiles, ac ſolutæ. & talem probabilitatem *de honeſtate ac licentia operationis*, prohibitam fatentur ab Innocentio XI. in illa tertia propoſitione: *Generatim dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*. Comparativam autem probabilitatem dicunt illam, quæ & nititur magno fundamento, & per contraria argumenta non enervatur. tunc verò hæc enervatio fit, quando argumenta contraria vel nituntur certa aucto-

ctori-

ctoritate divina, aut Pontificia (quæ reducitur ad divinam) aut humana SS. Patrum; præcipuorùmve Theologorum communi ſenſu: vel certitudine evidentiæ phyſicæ aut metaphyſicæ: vel certitudine morali: quæ tunc adeſſe cenſetur, quando una, vel plures rationes tam efficaces habentur, ut illis bene cognitis & ponderatis, intellectus prudenter non valeat diſſentire, vel falſum ſubeſſe metuere: & quæ præterea conjunctæ ſint cum tam clara & ſolida ſolutione omnium oppoſitarum rationum, ſi quæ occurrant, ut iis intellectus prudenter non valeat ampliùs conſentire. Sic explicant adverſarii apud Patrem Illſung a. 6. §. 9. n. 65. probabilitatem abſolutam; & comparativam §. 1. n. 32.

Sed non videntur hac arte prohibitionem Pontificiam evadere. nam comparativa probabilitas utique poteſt eſſe major, vel minor; cùm dicant contra adverſarios §. 7. n. 60. *non ſequi, quòd quia fundamentum abſolutè magnum minuitur quoad vim movendi in actu ſecundo, à fundamento oppoſito evidenter majore, illud ſtatim ex magno fiat parvum: cùm hujus magnitudo non conſiſtat in indiviſibili*. ponamus ergo, quod à motivis oppoſitis redigatur ad illam parvitatem

mora-

Digitized by Google

moralem, infra quam citra enarrationem (quæ juxta ipſos non contingit, niſi ſaltèm per certitudinem moralem oppoſitam) deſcendere non poſſit; ut ſi oppoſita ſententia ſit probabiliſſima, ſed extra certitudinem; altera verò ſit infimæ probabilitatis, ſed extra enervationem, ob defectum certitudinis in oppoſita: ponent igitur adverſarii pro ſimilibus caſibus hanc propoſitionem: *Generatim dum probabilitate comparativa, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modò à probabilitatis comparativæ finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus*: ſed hæc, quoad ſenſum, eſt ipſiſſima propoſitio à Pontifice prohibita. nam probabilitas abſoluta, ut in ejus explicatione fatentur, etiam habet rationem magni momenti; vel ergo comparatur hæc ratio cum rationibus contrariis, & cum ſolutionibus, vel, ſine culpabili negligentia, (quod ponendum eſt, ne per omiſſionem debitæ inquiſitionis peccetur) non comparatur cum illis? Si hoc; ergo probabilitas manet magna; quia quod nititur ratione magna, qua tali manente, eſt etiam ipſum magnum, & prudens, & minimè temerarium: ſequi autem magnam probabilitatem, quatenus manet, ac inculpabiliter habetur pro tali,

non

non eſt malum, nec reprehenſibile. ergo ut probabilitas abſoluta, ceſſet eſſe magna, & fiat prohibibilis ob tenuitatem, debet comparari ad rationes & ſolutiones oppoſitas; ergo tota illa prohibitio procedit de probabilitate comparativa, manente intra fines probabilitatis, in caſu comparationis: ergo aſſerere, *generatim prudenter agi, quandocunque ex probabilitate comparativa agitur, quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur*, eſt aſſerere propoſitionem prohibitam. ergo ex hoc, quòd tali probabilitate judicetur, actionem probabiliter eſſe honeſtam, non poteſt formari judicium, reflexum, quo judicetur, actionem eſſe hîc & nunc honeſtam.

Confirm. probabilitas comparativa, quantumcunque ex motivis oppoſitis minorata, juxta adverſarios eſt ſufficiens ad fundandum prudens judicium honeſtatis & licentiæ, quamdiu, & quia manet intra fines veræ probabilitatis: ſed propoſitio damnata, non aſſeruit aliam ſufficientiam prudenter agendi, quàm hanc; nam ſi facta comparatione probabilitas ceſſet, prohibitio non afficiet hanc propoſitionem, utpote quæ expreſsè loquatur de probabilitate manente, *& à finibus probabilitatis non exeunte*: ergo ſufficientia prudenter agen-

agendi, quam adverſarii dicunt ex quacunque probabilitate, quantumcunque per oppoſitas rationes minorata, haberi poſſe, eſt ſufficientia damnata: non ergo in illa poſſunt fundare judicium prudens actionis licitæ.

Quia verò imaginantur ſibi adverſarii, ſe prudentiam hujus judicii evidenter demonſtrare, afferendum eſt præcipuum ipſorum argumentum, ut eo eliſo etiam cęterorum vires cadant.

ARTICULUS VI.

Proponitur præcipuum argumentum, quo conantur aduerſarii oſtendere, ex probabilitate comparativa honeſtatis, prudenter & legitimè inferri, actionem hìc & nunc eſſe honeſtum.

APud P. Illſung a. 6. §. 7. n. 59. ſic lego: ſexta ratio, præcipuè oſtendens evidentiam noſtræ ſententiæ, comprehenditur hoc ſyllogiſmo planè demonſtrativo. Evidens eſt, quod, qui evidenter videt, & judicat aliquam ſententiam non obſtantibus rationibus contrariis, apparentibus ut probabilioribus, attamen adhuc fallibilibus, & incertis, eſſe prudenter ac practicè eligibilem,

bilem ; is eligendo talem ſententiam non peccet, verùm licitè ac honeſtè operetur. Sed qui evidenter videt, & judicat, aliquam ſententiam, propriam, vel alienam, eſſe quoad aſſertam honeſtatem, aut licentiam actionis vel omiſſionis abſolutè & comparativè ad rationes oppoſitas probabilem, ac inenervatam ab illis oppoſitis rationibus, apparentibus ut probabilioribus, attamen fallibilibus, & incertis, is evidenter videt, & judicat, illam ſententiam eſſe prudenter & practicę eligibilem, hoc ipſo quòd ſit, & maneat probabilis quoad aſſertam licentiam ac honeſtaté electionis practicę (quia *probabile* idem eſt, ac *prudenter affirmabile ut verum, & eligibile*) ergo evidens eſt, quòd talis non peccet, verùm licitè ac honeſtè operetur. hîc eſt ſyllogiſmus, & quidem, ut illi laudant, demonſtrativus; ad quem aliud reſponderi non poſſit, quàm ut negetur ſuppoſitum, quòd ulla ſententia ſive propter auctoritatem, ſive propter rationem, ſive propter utrumque abſolutè probabilis, ſit & maneat probabilis comparativè ad rationes probabiliores cognitas, ut tales. cujus tamen ſuppoſiti veritas, inquiunt, probatur omnium Doctorum experientia, qui ore & ſcripto frequentiſſimè fatentur, tam in ſententiis

tiis practicis, quàm ſpeculativis, ſe quidem judicare, ſuam ſententiam propter rationes & reſponſiones à ſe allatas, eſſe probabiliorem; videri ſibi tamen, & conſentire ſe, etiam oppoſitam eſſe probabilem.

Ad hoc argumentum, ne permittam adverſariis, ut nobis præſcribant, quid negandum, vel concedendum ſit, ego jam non nego ſuppoſitum; quamvis etiam illud in ſenſu infra dicendo optimè negetur; ſed nego minorem, nempe quòd videns, aliquam ſententiam quoad aſſertam honeſtatem actionis eſſe tam abſolutè, quàm comparativè probabilem, hoc ipſo videat, & judicet, illam ſententiam eſſe prudenter & practicè eligibilem. Sic enim non potuiſſet prohiberi illa propoſitio, *quòd generatim loquendo prudenter agatur, quoties ex probabilitate agitur*. nam vel ratio magni momenti, ex qua probabilitas ſumitur, comparatur ad alias rationes, vel non? Si non; ergo manet probabilitas, ex qua poſſit aliquis prudenter agere: nam ratio magni momenti, non diminuta, nec enervata, juxta ipſos prudentem actionem & electionem fundat. Si autem ratio magni momenti, ex qua ſumitur probabilitas (nam ex ratione levis momenti, non probabilitas, ſed levis credu-

dulitas ſumitur) comparatur cum rationibus oppoſitis, & ſolutionibus, quæro, an probabilitas illius rationis maneat, vel non? Si non manet, ſed expellitur ex finibus probabilitatis; prohibitio non tangit dictam propoſitionem; ut quæ ſolùm aſſerat, ex illa probabilitate prudenter agi, quæ extra fines probabilitatis non exeat. Si verò facta comparatione manet probabilitas illius rationis: ergo non potuit damnari illa propoſitio; quia juxta adverſarios evidens eſt, ex tali probabilitate prudenter agi. aut ergo illa prohibitione nihil prohibitum eſt; aut à Cathedra veritatis veritas prohibita eſt; aut adverſarii ſua demonſtratione veritatem non dicunt, ſed à ſpecioſo ſophiſmate falluntur.

Nec verò negatam ipſis Minorem probant per illam parentheſim, qua dicunt, *probabile* idem eſſe, *ac prudenter affirmabile ut verum, & eligibile*. hoc enim ipſum nego, & pernego, & infra proprio articulo oſtendam, non ita eſſe. nunc autem vehementer miror, adverſarios id, tanquam ex terminis notum, ſupponere, & tanquam veritatem æternam velle ſibi concedi. nam ex una parte arguunt eos, qui ſuppoſitum dictæ Minoris negant, quòd nempe in compara-

paratione meliorum rationum rationes inferiores maneant probabiles; arguunt, inquam, illos, quaſi ſtatum quæſtionis tollentes. Sic enim §. 9. n. 64. contra eos loquuntur: *hoc ipſo autem, quòd reſpectu ejuſdem intellectus nequeat apparere utraque ſententia oppoſita probabilis, ſive prudenter eligibilis, neceſſe eſt tolli omnino hunc legitimum ſtatum quæſtionis; an inter duas ſententias contradictorias de licentia operationis, liceat affirmativam ſequi, quando illa minùs, ſed tamen evidenter apparet probabilis, etiam comparatione rationum oppoſitarum notabiliter præponderantium.*

Ex altera verò parte volunt ſibi, tanquam rem ex terminis notam concedi, quòd aliquid hoc ipſo, quòd ſit *probabile, ſit prudenter affirmabile ut verum, & eligibile.* conceſſo igitur (tanquam neceſſario ad ſalvandum ſtatum quæſtionis, ut dicunt) manere alteram ſententiam probabilem, etiam comparativè, & reſpectu ejuſdem intellectus; & conceſſo, *probabile* idem eſſe, *ac prudenter affirmabile ut verum, & eligibile*, quid reſtabit antiprobabiliſtis, quàm ut ſine repugnantia concedant totum, quod volunt & affirmant Probabiliſtæ? Ipſi igitur potiùs reddunt ſtatum quæſtionis indiſputabilem, dum ſupponunt id,

quod

quod vel maximè eſſet probandum. itaque & in hac [ut ipſis placet] demonſtratione, dato ſuppoſito, ne ſtatum quæſtionis videar tollere, imò etiam, concesſo, quòd maneat probabilitas alterius partis, nego minorem, quòd hæc probabilitas ſit prudens eligibilitas, vel affirmabilitas objecti ut veri. & hoc ipſum facio ad probationem ſecundam, quam §. 5. n. 53. proponunt his verbis: quando operatio eſt conformis dictamini proximè & immediatè directivo, & quando ipſum dictamen eſt conforme primæ ac divinæ regulæ, operatio à tali dictamine dependens eſt honeſta, ac licita: ſed hæc omnia ita ſe habent. nam prima regula, evidentiâ luminis naturę nobis certa, ſive ab auctore naturæ rationalis dictata, dicit: quicunque certò & evidenter judicat, aliquam operationem eſſe honeſtè, ac licitè eligibilem, ille eandem honeſtè eligit: ſubſumit intellectus per proprium ſuum dictamen: atqui ego, non obſtante, quòd judicem hanc operationem eſſe in ſe, prout ſubſtat intellectui divino, probabiliter, aut probabilius inhoneſtam, & legi contrariam, ipſaſque rationes ſuadentes, eſſe honeſtam, judicem in ſe eſſe probabiliter, aut probabilius falſas, judico tamen indubitanter, certò, & evidenter,

Digitized by Google

ter, iſtud prædictum meum judicium eſſe probabilitèr falſum, & tam obiectum, quàm ipſas rationes eſſe certò probabiles, adeòque (quod eſt explicatio vocis *probabiles*) eſſe honeſtè, licitè, & prudenter eligibiles; prout ſubſtant cuicumque intellectui humano, & meo, facilè fallibili à contrarijs rationibus, etiam apparentibus, vt probabilioribus. Huic autem judicio, quod eſt dictamen proximum, eſt conformis operatio ſubſequens: ergo hæc eſt conformis proximo dictamini, & hoc eſt conforme primæ regulæ. Et ad hanc, inquã, rationem, nego minorem, quòd, qui judicat, à Deo cognoſci actionem eſſe inhoneſtam, eſſe legi contrariam, rationes oppoſitas eſſe falſas, nihilominus tamen prudenter judicare poſſit, talem actionem honeſtè ac licitè à ſe eligi, propterea quòd ſaltèm *probabile* ſit oppoſitum. Quid enim probabilitas ad honeſtandam actionem coram Deo, quæ judicatur fallere, eſſe contraria cognitioni divinæ de tali exiſtentia honeſtatis, repugnare legi, præter deceptionem habere nihil? Nunquid Deus, ſi ad ejus tribunal fatearis, te judicaſſe, quòd ponendo talem actionem, ponas obiectum averſionis divinæ, ſub æterna damnatione prohibitum, legibus & honeſtati extremè contrarium, verbo, graviſſimum, & formaliſſimum peccatum?

Nunquid dicet tibi Deus, *Euge ſerve bone*; ſi modò addas, te tamen illa non judicaſſe evidenter, ſed cum quadam probabilitate oppoſiti? Nunquid recipiet tuam explicationem vocis *probabile* per *licitè eligibile*, & non potiùs ex tuo ore te judicabit, laturus ſententiam non ſecundùm id, quod judicabas, *poſſe* eſſe, ſed quod judicabas eſſe: Judicabas autem, eſſe malum, eſſe divinæ voluntati contrarium, habere apparentiam honeſtatis ſine honeſtate; ergo de tuo opere, tuomet judicio, malo ac Deo odibili, judicaberis, & condemnaberis. Non ergo ampliùs à nobis, tanquam ex terminis notum, concedi velint, hæc, *probabile*, *prudenter eligibile*, *& affirmabile ut verum*, idem eſſe, Sic enim evidenter ſuam ſententiam, tanquam ex terminis veram, ſupponerent, & non probarent. Et mirum eſſet, quòd ullos unquam habuerint adverſarios doctos; quomodo enim illi non apprehendiſſent terminos, per ſe notos; quam cognitionem ne quidem ſtupidiſſimis natura negavit?

Sed videamus, num id, quod à nobis exigunt, à ſuis impetrent: an verò in hoc & amicos ſuos habeant adverſarios? certè habeo inſignem, qui totus nobiſcum, contra illud principium ſuorum commilitonum pugnat.

Eſt is Paulus Laymann., qui tr. 1. c. 5.

§. 2.

§.2. n.5. cùm dixiſſet, ſieri poſſe, ut licèt uni parti quaſtionis opinativè aſſentiaris; nihilominus alteram contradicentem probabilem judices, ita ſubjungit: licèt omnis pars quæſtionis, ſi probabilis ſit, opinativum aſſenſum gignere poſſit, abſolutè loquendo; non tamen id poteſt in omni intellectu. Si enim tibi pars oppoſita quæſtionis probabilior videatur, ſeu majora rationum momenta in illam partem perſpicias; licèt aſſenſum omnè cohibere tunc poſſis; tamen ex hypotheſi, quòd alteri parti aſſentiri velis, neceſſe eſt, vt probabiliori aſſentiaris; alteri autem, quæ minùs probabilis tibi apparet, aſſentiri tunc non potes. Si enim minùs probabili aſſentiaris, ſeu veram judices, hoc ipſo oppoſitam falſam æſtimas. quod ſieri non poteſt, dum ea tibi probabilior ſeu veriſimilior apparet: propterea quòd intellectus judicativus ſecundùm ſpecificationem nó omninò liber ſit, ſed à rationibus, & motivis propoſiti obiecti determinetur. & poſt pauca interiecta: neque huic doctrinæ adverſatur S.Th.1.2.q.17.a6. vbi ait, in ijs apprehenſis, quæ intellectum non convincunt, in poteſtate noſtra eſſe aſſentiri, vel diſſentire. Id enim abſolutè verum eſt: quia poteſt intellectus imperio voluntatis moveri, vt omiſſa conſideratione rationum pro una quæſtionis parte,

E 2 con-

conſideret & æſtimet rationes pro oppoſita occurrentes. Sed ſtante hypotheſi ſive in ſenſu compoſito; dum, inquam, una pars contradictionis veriſimilior apparet, quàm pars oppoſita, non poteſt intellectus illi diſſentire, & huic aſſentiri : quia id fieret ſine ratione, imò contra rationem. Ecce, fieri non poteſt, ut minùs probabili, manenti tali, præſtetur aſſenſus in concurſu probabilioris, eſſetque non tantùm ſine ratione, ſed omnino contra rationem. quomodo ergo poteſt à nobis exigi, vt tanquam ex terminis notum concedamus, *probabile, & prudenter affirmabile vt verũ,* eſſe idem? nempe, quia rem, quæ eſt contra rationem, probare ratione non potuerunt, brevi compendio voluerunt hunc defectum ſupplere, dicendo, id eſſe ex terminis notum. erit fortaſſe nobis, ſi priùs perſuaſum fuerit illis, qui de adverſariorum caſtris ſunt.

Nunc duas præmiſſas ab illis mutuare placet, qui ſunt ſub tentorijs adverſariorum, quibus, ſi poſſint, ſuam concluſionem demonſtrativam addant. Maiorem accipio ab Eſparza loco in a. 4. citato, & eſt hæc: planè chimericum eſt, licitè eligere opinionem minùs probabilem, ſi quis illam non eliciat, aſſentiendo illi ut veræ. Minorem accipio à Laym & eſt hæc: contra rationem eſt, aſſentiri minùs probabili,

in

in occurſu & conſideratione probabilioris. Subjungant iam Adverſarij ſuam Concluſionem, ex his præmiſſis ſuorum, & dicant: Ergo evidens eſt, quòd minùs probabile honeſtè eligatur, etiam contra probabilius; quia probabile, & honeſtè eligibile, ſunt idem.

Vlterius. quomodo adverſarij hac ſua demonſtratione non tollunt ſtatum quæſtionis? quæritur enim, an, & quomodo poſſit aliquis honeſtè agere ex conſcientia opinativa,& probabili dictamine? Ipſi autem ponunt mera dictamina evidentia: nam dictamen de probabilitate, & conſequenter de prudenti eligibilitate,eò quòd hæc unum ſint, eſt evidens; & dictamen de honeſtate actionis, evidenter prudenter ac honeſtè eligibilis,etiam eſt evidens; qui enim eligit, quod evidenter prudenter ac honeſtè eſt eligibile, evidenter honeſtè eligit: aliud autem dictamen non adeſt, vel eſt impertinens, iuxta ipſos. quomodo ergo ad ſtatum quæſtionis reſpondent, & oſtendunt, licitum eſſe operari ex conſcientia opinativa, & dictamine probabili? utique conſcientia, de qua in præſenti quæritur, non eſt ad præſentem quæſtionis ſtatum impertinens; ſicut ad agendum ex conſcientia certa, non eſt impertinens, ſed vel maximè neceſſaria conſcientia certa? quòd autem aliud

Digitized by Google

dictamen non adſit, vel ſit impertinens, juxta Adverſarios, patet tum ex §.5.n.53. tum ex a.2 n.12. priore loco, vt probent, quòd intellectus non debeat aſſentiri objecto ut vero, ſed ſolùm ut probabili, ſic dicunt: judicium remotum, quo veritatem honeſtatis ac licentiæ, & rationum probabilium, vel magis probabilium, probabiliter, & cum formidine erroris affirmarem, eſt tantùm probabile, ac fallibile; & pari ratione etiam illud judicium, quo eandem veritatem negarem. At judicium affirmans ipſam probabilitatem honeſtatis, & rationum verè ac comparatiuè probabilium, eſt certò & evidenter verum; ergo dictamen proximum in hoc judicium (probabilitatis) debet reflecti, & in iſto, tanquam in principio infallibili debet fundari: *alterum autem judicium* (veritatis) *ſive ſit affirmativum, ſive negativum, eſt impertinens, & nec juvat, nec nocet*. Eſtne hoc oſtendere, quomodo aliquis ex dictamine & conſcientia probabili operari poſſit; ſi oſtendas, quòd debeant adeſſe duo judicia & dictamina evidentia; judicium autem & dictamen probabile ſit impertinens? Altero verò loco culpant nos, quod ipſorum dictamen ſic efformemus: *ſive res iſta, vel operatio ſit prohibita, ſive non; volo illam exequi, & nihil cura, an ſit re ipſa contra legem: eò quòd multi Auctores*

res probabiliter, vel etiam probabilius dicāt, licitum eſſe, talem actionē exequi, & cum tali dubio ſpeculativo operari. Si judicium de re, ſive ſit affirmativum, ſive ſit negativum honeſtatis, eſt impertinens, & nec juvat, nec nocet: quomodo non rectè efformamus nos ipſorum dictamen, dicendo, *ſive operatio ſit probibita, ſive non, ſive boneſta, ſive inboneſta non curo.* nunquid id, *quod eſt impertinens, & quod nec iuvat, nec nocet*, rectè non curatur? Scilicet adeò diſplicemus Aduerſarijs, vt ſi nos aliqua dicamus, ſint peſſima; ſi eadem ipſi dicant, derepente ſiant optima.

Sed quomodo ipſi efformant ſuum dictamen? Sic: *evidens & certum eſt, rationes utriuſque partis eſſe probabiles, & licèt rationes pro inboneſtate appareant mihi probabiliores, ſunt tamen, & apparent mihi rationes pro boneſtate non tantùm abſolutè, ſed etiam comparatiuè probabiles.* Hoc eſt dictamen directum, quo intellectus formaliter certificatur de probabilitate. *quando verò*, inquiunt, *intellectus reflexè cognoſcit, ſe certò & evidenter, & formaliter certificatum eſſe de probabilitate boneſtatis obiectivæ, quæ idem ſignificat, ac, obiectum poſſe prudenter affirmari, & prudenter eligi ut boneſtum, boc ipſo non ampliùs manet incertus, ac dubius, vtrum res, vel electio rei ſibi bic & nunc ſit licita formaliter, & ſit*

formaliter honeſta. Hoc eſt dictamē reflexū, etiā ipſum evidens, & de honeſtate certificans. nam, inquiunt ibid. *hoc ipſo, quod intellectus videat, & cognoſcat, ſe de evidenti probabilitate honeſtatis materialis eſſe certum, non poteſt aliquis dubitare, ſe formaliter honeſtè operàri; quia eſſe comparativè probabile, quod ſit honeſtum, idem eſt, ac prudenter eligibile: quidquid autem eſt prudenter eligibile, eſt honeſtè eligibile, ut eſt ex terminis evidens; ergo.* His ita poſitis, ſi totum dictamen, tam directum, quàm reflexum, ex quo operatio ſequitur, eſt evidens, & omne aliud dictamen eſt impertinens, quomodo, iuxta ſtatum quæſtionis oſtendunt, licitum eſſe agere, ex dictamine & conſcientia probabili? Ipſi igitur in rhombo maneant, & fateantur, ſe non inveniſſe, quomodo id, quod minor ſua probabilitas aſſereret honeſtum, prudenter poſſent re vera judicare honeſtum. atque id maturè proſpiciant, quo vultu ex coruſca nube, plenus Majeſtate Judex, cum Angelis, Juſtiſque omnibus, excepturus ſit eos, qui dixerint, ſe id feciſſe, quod neque judicaverint, neque prudenter judicare potuerint, eſſe divinæ ſuæ majeſtati placitum, ſola honeſtatis probabilitate, in favorem utique carnis & ſanguinis, contentos, judicio honeſtatis, tanquam impertinente, nihili habito.

Dein-

Deinde videntur Adverſarij incidere in illam propoſitionem, ab Alexandro VIII. anno 1690. damnatam: *Non licet ſequi opinionẽ vel inter probabiles probabiliſſimã*. quid enim eſt, ſequi aliquam opinionem? eſt illam amplecti per aſſenſum, & id judicare, quod illa opinio affirmat, & judicat. propterea enim Adverſarij cognoſcuntur ſequi ſententiam nimis benignam, quia dicunt licere, quod ipſa dicit: nos verò cognoſcimur non ſequi ſententiam illam, quia non dicimus licere, quod ipſa dicit. Sequi ergo opinionem probabiliſſimam, eſt judicare, id eſſe honeſtum, quod ipſa dicit eſſe honeſtum: dicit autem operationem aut contractum v.g. eſſe honeſtum; nam de hoc datur probabilitas, & non de ipſa probabilitate; ergo ſequi opinionem probabiliſſimam, eſt judicare, actionem eſſe honeſtam; & exinde ſecundùm hoc judicium, tanquam dictamen & conſcientiam probabiliſſimam, exequi actionem. atqui hoc ſecundùm Adverſarios non ſufficit; ſed debet haberi judicium majus opinativo, etiam probabiliſſimo, nempe judicium evidens probabilitatis; ergo ſecundùm Adverſarios non licet ſequi *opinionem* probabiliſſimam, ſed tantùm evidentiam, aut certitudinem probabilitatis.

Dixi ad initium, etiam ſuppoſitum, quòd

quòd nempe minùs probabile in conſideratione & præſentia notabiliter probabilioris maneat probabile, in aliquo ſenſu optimè negari. nam probabile non ſolùm dicitur, quod comparatum cum altero retinet magnam apparentiam; ſed quandoque etiam id, quod propter ſuam magnam apparentiam, in coniunctione alterius approbatur, vel dignum eſt, vt approbetur. quomodo enim, inquit Auguſtinus l. de vtil. cred. c. 11 eſt illud, quod ſequuntur, probabile, ſi non probetur? atqui minùs probabile in coniunctione, & conſideratione notabiliter probabilioris, non poteſt prudenter approbari, vt ex Laymanno audiverunt Adverſarij, & apud Martinum Eſparza in Append. legere poſſunt: quem cùm a. 6. §. 1. nu. 34. apud P. Illſung dixerint, accuratiſſimè diſcuſſiſſe præſentem controverſiam, neſcio qua gratia ſtatim n. 36. quia negat, probabilitatem manere in præſentia indubitanter majoris, incuſent, tanquam confundentem has propoſitiones: *oppoſita pars eſt moraliter certa:* &, *oppoſita pars eſt moraliter certò, aut indubitanter probabilior.* Hæ enim propoſitiones adeò inter ſe diſtant, vt minimè accuratus dici debeat, qui eas confuderit. itaque videntur mihi Adverſarij non velle hunc Auctorem intelligere, quando pro ipſis non dicit. Audiant ſaltem

tèm Ludovicum Schildere, qui tr. 2. §. 1. n. 12. opinionem probabilem ſic definit: *eſt aſſenſus cum formidine, innixus rationibus gravibus, ex qualibus vir conſideratus poſt argumenta contraria conſiderata, & ſoluta, in negotijs magni momenti concludere ſolet*. tum ex hac definitione hoc corollarium deducit: *ex hac definitione ſequitur, quòd, quando pro utraque parte rationes occurrunt, neque rationes unius partis longè ſuperant alias, opinio formata non ſit probabilis. nam rationes pro utraque parte allatæ, ſi ſint æquales, vel ferè æquales, elidunt vim mutuam, ut nullus conſideratus vir ob alterutras ſit formaturus aſſenſum, ex eoque proceſſurus ad praxim*. Si aſſenſus non eſt probabilis, quando rationes ſunt ęquales; quomodò eſſe poterit pro parte illa, quæ eſt notabiliter minor? ergo in hoc ſenſu, ex mente optimorum Doctorum, rectè negari poteſt ſuppoſitum, quòd nempe rationes minores maneant probabiles; saltèm ſimpliciter, vt infra videbimus.

Ultimò, ad excludendam æquivocationem, obſervo, verba illius Minoris: *qui evidenter iudicat, aliquam ſententiam, quoad aſſertam honeſtatem, eſſe probabilem, is evidenter iudicat, illam ſententiam eſſe, prudenter eligibilem*: poſſe etiam ſic diſtingui. ſi ipſe operans etiam aſſerat honeſtatem per actum opinativum, & probabilem

trans. ſi ſolùm alij aſſerant honeſtatem, & ipſe tantùmmodò probabilitatem quandam honeſtatis, negatur. quia, dato, quòd maneat probabilitas, non tamen ex illa ſola, ſine dictamine de veritate honeſtatis, operari poſſumus, ſaltèm pro ſtatu præſentis quæſtionis, de operatione ex conſcientia opinativa.

ARTICULUS VII.

Principium Adverſariorum, quòd ex ſolo iudicio probabilitatis comparativæ honeſtè agatur. ſine iudicio de veritate honeſtatis, aut contra illud, tanquam impertinens; ab ipſis eorum Patronis, & etiam ab Apoſtolo reprobatur.

VT vidimus, Adverſarij totum dictamen, ex quo honeſtè agatur, conſtituunt in iudicio de probabilitate honeſtatis; nihil ſolliciti de judicio ipſius honeſtatis, vtpote quod ſecundùm ipſos nec juvat, nec nocet, & eſt impertinens. vnde apud P. Illſung a. 2. n. 12. circa finem ſic dicunt: *Solùm neceſſe eſt, ut reflexè cognoſcatur cognitio directa, immediatè repræſentans probabilitatem honeſtatis materialis,* &

& conſtituens cum obiecto repræſentato(nem. pe probabilitate honeſtatis materialis) *honeſtatem formalem, quæ eſt obiectum cognitionis in illam reflexæ, ita ut hæc reflexa non ampliùs conſtituat honeſtatem formalem; ſed ſupponat completam, per cognitionem directam ipſius probabilitatis obiectivæ.*

Huic Principio præter alios, reſiſtit Vaſq d.62. c.3.n.11. vbi præter judicium de probabilitate alterius partis, ſive de probabilitate honeſtatis ab illa parte aſſertæ, requirit ad rectè operandum, ut formetur judicium aliquod conſcientiæ ſingulare, quo determinato aſſenſu *credat* operans, & *exiſtimet*, licitum eſſe ſibi in eo caſu, ſequendo opinionem alienam, operari: alioquin ſi hoc judicium non haberet, operaretur contra conſcientiam, quod nulla ratione licet. ut *credat*, inquit, & *exiſtimet* determinato aſſenſu: atqui per judicium probabilitatis non *creditur*, nec *exiſtimatur*; eſt enim judicium evidens; ergo juxta hunc Adverſariorum Auctorem præter judicium probabilitatis requiritur aſſenſus opinativus de ipſa honeſtate ita ut in hoc aſſenſu conſiſtat conſcientia: quia, ut addit, alioquin hoc judicio non habito (ſed contrario de inhoneſtate) ageretur contra conſcientiam; vel ſaltèm ſine conſcientia requiſita. quod totum clariùs ex eo eſt, quòd ſecundùm hunc

Aucto-

Auctorem c. 5. hic aſſenſus ſit conjunctus cum formidine oppoſiti; quod in aſſenſum probabilitatis, utpote evidentem, non cadit. Ejus verba n. 27. ſunt hæc: At objicies, etiamſi quis habeat formidinem circa univerſalem opinionem, quam ſequitur ex proprijs principijs, poterit nihilominus deducere ex illa ſingularem conclusionem ſine ulla formidine per extrinſeca principia, & quouſque ſaltem per extrinſeca principia, formidinem expellat, non poterit rectè operari. tum ita ſubjungit: reſpondeo, non ſemper poſſe per extrinſeca principia deduci concluſionem ſingularem omnino ſine formidine; quia nec ſemper poteſt deduci concluſio univerſalis per extrinſeca principia prorſus abſque formidine. cùm enim in opinione poſitum ſit, an aliquis poſſit ſequi in operatione opinionem aliorum contra propriam. hoc ipſo, ſententia, quæ aſſerit, licitum eſſe unicuique ſequi aliorum opinionem probabilem contra propriam, ſolùm eſt probabilis, ac proindè non poteſt ſemper eſſe ſine formidine, eò quòd extrinſeca principia ſolùm gignant probabilitatem, cui conſtat, poſſe ſubeſſe falſum; ex quo formido generatur. Suppoſita autem formidine in judicio propoſitionis univerſalis ſequitur etiam in judicio ſingularis propoſitionis, contentæ ſub univerſali.

ita

ita Vaſq. pro conſcientia, non judicium evidens probabilitatis, ſed quoddam firmum, cum aliqua tamen formidine conjunctum, de ipſa materiali honeſtate, circa quam ſolam formido eſſe poteſt, requirens; contra quod agere nulla ratione liceat.

Juvant nos ad hoc ex Apoſtolo confirmandum ipſimet adverſarij, dum apud P. Jilſung a.6.§.2.n.40 ad oſtendendum, quòd intellectus poſſit potentia phyſica aſſentiri obiecto minus probabili, præ oppoſito probabiliore, adhibent argumentum P. Ferilli q.9. aſſert.1. n.4. deſumptū ex Sacra Scriptura act.17. in fine: ubi, inquiunt, poſtquam S. Paulus ſua concione Ariopagitis mortuorum reſurrectionem reddidiſſet probabiliorem, imò firmiſſima fide credibilem, tamen dicitur: cum audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam irridebant, quidam verò dixerunt, audiemus te de hoc iterum, quidam verò adhærentes crediderunt. ecce, inquiunt, quomodo ex fide vltimorum clarè conſtet, in præſentia motivorum majorum, imò ſummè probabilium, potuiſſe nihilominus primos cum riſu, repudiata veritate credibiliore, non ſolùm ſuſpendere ſuum judicium, vt ſecundi faciebant, ſed etiam adhęrere errori, longè minùs probabili, nec prudenter ampliùs credibili.

Ex

Digitized by Google

Ex hoc ſic argumentor. ſi Apoſt. I. c. probabiliorem, imò firmiſſima fide credibilem reddidit, etiam irridentibus, reſurrectionẽ mortuorum, comprobante hanc probabilitatem, & credibilitatem fide credentium; tunc etiam Apoſtolus Rom. 14. probabilem, & credibilem reddidit novis illis Fidelibus, licentiam, quoſcumque cibos comedendi; cùm plurimi fuerint, qui ſecundùm inſtructionem Apoſtoli nihil immundum judicaverint. & tamen, non obſtante hac probabilitate infirmis illis, & teneríoris conſcientiæ fidelibus communicata, dicit Apoſtolus, illos peccare, ſi comedãt cibos, quos judicant immundos; eò quòd non ex fide, hoc eſt, ex conſcientia: & præſcribit, ut, qui ita infirmus eſt, hoc eſt, credit ſeu exiſtimat aliquos cibos eſſe immundos, & prohibitos, olus manducet, hoc eſt, relictis carnibus, veſcatur leguminibus, & alijs cibis eſurialibus: atqui Apoſtolus non dixiſſet, illos peccare, ſi judicaſſet, ad honeſtè agendum ſufficere probabilitatis judicium; neque tam ſeverus fuiſſet, ut maluiſſet ipſos ad olus manducandum condemnare, quàm tradita arte adverſariorum de judicio ex probabilitate formando, inſtruere, quomodo etiam contra proprium judicium poſſent carnes, omnèſque alios cibos, ſine diſcrimine, & ſine omni peccato, aut ſcrupulo co-

comedere: ergo vel adverſarij nimis benigni ſunt; vel Apoſtolo non fuit plena, de conſcientia, inſpirata cœlitus doctrina; vel tam ſeverus fuit, ut mallet alligare onera, quàm facillimo probabilitatis digito ea movere. quare videant adverſarij, ut prius Vaſquezio, & Apoſtolo probent, judicium de honeſtate eſſe impertinens, & conſcientiam in longè alio conſiſtere, quàm ipſi judicaverint; antequam id nobis perſuaſiſſimum, & evidens eſſe velint.

ARTICULUS OCTAVUS.

Oſtenditur, principium Adverſariorum ducere ad propoſitionem valde periculoſam, & omnino reprobandam.

QUia placuit Adverſarijs, argumentum ſuum vocare evidens, & planè demonſtrativum; operæ pretium eſt, hanc illi, quam non meretur, laudem detrahere, ne ſub colore tantæ excellentiæ minùs cautos decipiat.

Sic igitur argumentor. Si evidens eſt, quòd ſequens opinionem minùs probabilem, probabilitate comparativa, licitè operetur, ſequitur primò, quòd ſententia oppoſita, aſſerens obligationem ſequendi opinionem probabilioré, ſit evidenter falſa

ſa. Secundò, quòd Deus evidenter injuſtè ageret, ſi condemnaret hominem, operantem ſecundùm opinionem minùs probabilem, relicta probabiliore, cognita tali: neutra ſequela poteſt ab Adverſarijs admitti; ergo ipſorum argumentum non eſt evidens, nec demonſtrativum. Prima ſequela patet. quia ſi evidens eſt, quòd *liceat* mihi ire ad ſiniſtram, utique evidenter falſum eſt, quòd *debeam* ire ad dextrã. patet etiam altera ſequela. quia evidens eſt, quòd propter actionem moraliter bonam, & laudabilem, ac meritoriam regni cœleſtis, nemo juſtè ad æternos rogos damnari poſſit; ergo ſi evidens eſt, hominem ſecundùm opinionem minùs probabilem operantem, operari honeſtè ac laudabiliter, &, ſi in gratia ſit, etiam meritoriè, evidens erit, quòd Deus non poſſit illum propter talem actionem damnare, & quòd eſſet evidenter injuſtus Deus, ſi id faceret. Quòd verò neutram ſequelam admittere poſſint adverſarij, ſic probo. & primam quidem ad hominem. non poſſunt, qui de Societate ſunt, Doctores admittere, & dicere, permitti in Societate, ut doceantur evidentes errores: ſed ſi evidenter eſt falſum, quòd in operando debeamus ſequi opinionem probabiliorem, debent hoc Doctores Societatis admittere; ergo non poſſunt dicere, ſententiam

obli-

obligantem ad probabiliora, eſſe evidenter falſam, & per conſequens neque ſuam, ſive oppoſitam ſententiam eſſe evidenter veram. Majorem ſuppono, ex præſumptione modeſtiæ. Min. patet ex Decreto XVIII. univerſę Societatis anno 1687. congregatę. illud ſic habet: *Cum relatum fuiſſet ad Congregationem, aliquos in ea eſſe perſuaſione, quòd Societas communibus quaſi ſtudijs tuendam ſibi ſumpſiſſet eorum Doctorum Sententiam, qui cenſent, in agendo licitum eſſe ſequi opinionem minùs probabilem faventem libertati, relicta probabiliore, ſtante pro præcepto, declarandum cenſuit Congregatio, Societatem nec prohibuiſſe, nec prohibere, quo minùs contrariam ſententiam tueri poſſent, quibus ea magis probaretur*. Ergo ſi Sententia contraria, obligans ad probabiliora, eſt evidenter falſa, debent hi Doctores Societatis, qui eam talem eſſe dicunt, dum ſuam ſententiam dicunt eſſe evidenter veram, admittere, quòd Societas, ſpeciali Decreto, novo prorſus veritatis favore, permittat, ut doceantur evidentes errores; & quidem in re morali, ac ſummę conſiderationis. à quo concedendo, ſcio, quantum omnes abſimus; ut quibus notiſſimum eſt, Societatis curam jam inde ab initio maximam fuiſſe pro doctrinæ ſinceritate conſervanda, & augenda. S. Pater noſter P. 4 Conſti-

ſtitut c.5.§.4. ſic præſcribit: *Sequantur in quavis facultate ſecuriorem, & magis approbatam doctrinam, & eos Auctores, qui eam docent*. Congregatio V generalis Decreto 41. ſic: *unanimi omnium conſenſu ſtatuit, doctrinam S. Thomæ in Theologia Scholaſtica tanquam Solidiorem, ſecuriorem, magis approbatam, & conſentaneam noſtris Conſtitutionibus, ſequendam eſſe à Profeſſoribus noſtris.* & infra: *ſequantur noſtri Doctores in Scholaſtica Theologia doctrinam S. Thomæ: neque deinceps ad Cathedras Theologicas promoveantur, niſi qui S. Thomæ bene affecti fuerint. qui vero ejuſdem Auctoris parum ſtudioſi, vel etiam ab eo alieni ſunt, à docendi munere repellantur.* Congregatio XI. generalis Decreto 22. ſic: *Complurium Provinciarum poſtulatio fuit, ut cùm Societas ita nunc paſſim malè audiat, & traducatur, quaſi nimis laxas in moralibus opiniones doceat, & in praxi ſequatur, aliquod adhibeatur efficax tanto malo remedium. Congregatio amplexa judicium Deputatorum pro ſtudijs ſtatuit: Primò, monendos feriò Profeſſores Theologiæ moralis, cautè omninò ut doceant, neque, quòd aliquid probabile reputent, illicò ſibi licere arbitrentur illud in publicum ſcripto, verbòve protrudere &c.* hoc certè Decretum, quemcunque tangat, non tangit nos, qui probabiliora requirimus.

Con-

Congregatio XII. generalis, celebrata 1682. Decreto 28. ſic: Quamvis contra novitatem, laxitatemque opinionum, prę-ſertim in rebus moralibus, abundè proviſum ſit, & Prępoſitorum Generalium Ordinationibus, & Superiorum Congregationum Decretis, & Conſtitutionibus ipſis, quibus jubemur ſequi in quavis facultate ſecuriorem, magiſque approbatam Doctrinam. In re tamen tanti momenti, poſtulante pro ſuo zelo Patre Noſtro, omniumque conſpirantibus votis, nihil prętermittendum rata Congregatio pręſens, Decretorum, quibus novæ illæ, laxioreſque opiniones doceri, typiſque mandari prohibentur, vim totam renovat, roborat, & confirmat. Commendat præterea inprimis Patri Noſtro, ut non tantùm tranſgreſſores loco, & Cathedra moveat, alijſque gravibus, pro modo culpę, pęnis ſubijciat; ſed ipſos etiam Superiores, ſi quando in cohibenda liberiori illa opinandi licentia negligentiores fuerint, ſeverè puniat. neque hoc puto Decretum quidquam contra nos; imò haud obſcurè pro nobis, tanquam remotioribus à laxitatibus; quas dum oſtendit Societas, ſe valde odiſſe, utique ſimul oſtendit, ſibi errores, & pericula errorum minimè placere. unde magna ejus iniuria diceretur, ipſam ſpeciali Decreto in Congregatione ci-

citata permiſiſſe, ut poſſit Sententia manifeſtè falſa doceri à Noſtris. non igitur primam ſequelam poſſunt Noſtri Probabiliſtę admittere, & dicere Sententiam Antiprobabiliſtarum eſſe evidenter falſam.

Supereſt igitur, ut doctiſſimam, & religioſiſſimam ſuam mentem aperiant circa alteram ſequelam, dicantque nobis, an, quorum modeſtia non permittit, ut noſtrā doctrinam evidentis falſitatis inſimulent, horum pietas permittat, ut Deum, hoc ipſum, quod nos requirimus, exigentem, & ſecundùm noſtram doctrinam judicantem, evidentis injuſtitię condemnent? dicant, an non horreant hoc verbum vel mente concipere: *P. Adamus, dum docet, peccatum eſſe, minùs probabilia in operando ſequi, probabilem & laudabilem doctrinam tradit; Deus verò, ſi idipſum dicat, & ſic operatum condemnet, evidenter malè dici, & evidenter injuſtè judicat, ac condemnat?* Quòd ſi ab hac propoſitione, haud ſecus, atque à blaſphemia, meritiſſimò refugiunt, agnoſcant neceſſe eſt, Principium ſuum nec evidens, nec verum eſſe: nam ex verò non ſequitur falſum. & quia ſublato Principio ſubſiſtere nequit Doctrina, tali Principio innixa, ſentiant nobiſcum, quos vident, bono animo ſuadere meliora.

ARTI-

ARTICULUS NONUS.

Oſtenditur, principium Adverſariorum ducere ad praxes, graviter prohibitas.

EST communiſſima apud Probabiliſtas doctrina, quòd confeſſarius non tantùm poſſit, ſed etiam debeat abſolvere pænitentem, qui ſequitur minus probabilia, quamvis ipſe confeſſarius ſentiat ſecundùm opinionem magis probabilem. in exemplo. exiſtimat confeſſarius, ex probabiliore Doctrina, non poſſe penitentem à ſe abſolvi, niſi priùs ipſum obliget ad reſtituendum, ad deſerendam occaſionem periculoſam, vel ad aliquid ſimile: contra verò pœnitens oppoſitum probabiliter, licet minore probabilitate, cùm alijs Doctoribus cenſet. in tali caſu dicunt Probabiliſtæ, Confeſſarium contra propriam ſuam opinionem, propter opinionem probabilem pœnitentis non ſolùm poſſe, ſed etiam debere ipſum abſolvere. & idem docent de licentia dandi conſilium, juxta opinionem aliorum minùs probabilem, contra propriam probabiliorem referam breviter aliquos, ut ne quid videar affingere.

Vaſq. cit. diſp. c. 7. n. 39. ſic concludit Mihi maxime probatur Sententia Ange-

ge-

geli verbo *Confeſſio*. & Navarri in ſumma c.26.n. 4. & Soti in 4. d.18. q. 2. qui abſque ulla diſtinctione abſolutè pronunciant, quemlibet confeſſarium, ſive proprium ſive ex commiſſione, contra propriam opinionem, poſſe concedere beneficium abſolutionis pœnitenti, quem ſcit ſequi opinionem probabilem minùs tutam, ſive illa ſit in damnum alterius, ſive non; imò etiam debere concedere. Ratio ipſius eſt. quia diſpoſito non eſt, nec poteſt ſine injuria denegari abſolutio: Sequens autem Sententiam probabilem eſt ſufficienter diſpoſitus; ergo. De dando autem conſilio c.9. n. 47. ſic habet: Reſpondeo, virum doctum, à quo petitur conſilium, non ſolùm poſſe remittere eum, qui conſilium petit, ad alium Doctorem, quem ſcit ſequi opinionem contrariam, ſed etiam poſſe conſilium præbere contra ſuam opinionem, ſequendo contrariam illam, quam ſcit eſſe probabilem. cùm planè eadem ratio ſit, ut quis ſequatur, contra ſuam opinionem, alienam in propria operatione, & in præbendo conſilium, quando opinio altera probabilis eſt.

Sanchez, diligens Vaſquezij aſſecla, l.1.in Dec.c.9.n 19.Quartò, inquit, deducitur, licitè quoque viros doctos poſſe contra propriam opinionem alijs conſulere,

re,

re, ſequendo alienam, quam probabilem eſſe putant. imò & ipſis Confeſſariis hoc licet. quia ſi ipſiſmet licet hanc opinionem ſequi, cur non licebit eam aliis conſulere? nec (pergit idem) contradicit Sot. quia expreſsè loquitur, quando hi credunt, aliam opinionem eſſe falſam. quod certum eſt: nequit enim quiſpiam, quod credit eſſe falſum, conſulere. imò prudenter faciunt quandoque minùs probabilem opinionem conſulendo, quando probabiliorem difficilem fore pœnitenti, vel conſilium petenti judicarint. quia ſic infirmitati eorum proſpiciunt, & peccandi periculum in eis cavent. & n. 28. ad quæſtionem, an Confeſſarius tam proprius, quàm non proprius, abſolvere poſſit contra ſuam opinionem, dicendum, inquit, utrumque Confeſſarium id poſſe. quia cùm licitum ſit pœnitenti opinionem probabilem ſequi, non caret eam ſequens diſpoſitione requiſita, ut licitè abſolvi poſſit; ergo uterque Confeſſarius poteſt illum audire, & abſolvere. & etiam tenetur, audita confeſſione. quia ad hoc Chriſtus ligandi, & ſolvendi poteſtatem contulit, ac Sacerdotes conſtituit. recta enim judicii ratio petit, ut ſicut pœnitens Confeſſori rectè præcipienti obedire tenetur, ita Confeſſa-

rius rectè diſpoſitum tenetur abſolvere; qualis eſt, ſequens opinionem probabilem. immo, pergit n. 30. idem dicendum eſt, *quamvis Confeſſarius falſam eſſe opinionem pœnitentis exiſtimaret, ſi probabilis reputetur inter Doctores probatæ authoritatis. quia non tenetur pœnitens conſilio Confeſſoris potiùs, quàm aliorum acquieſcere;* ergo non deficit debita ei diſpoſitio, ut abſolvatur. item, quia tunc eatenus dicitur Confeſſarius ſe conformare opinioni pœnitentis, quatenus illam permittit ei; non autem quaſi ſequatur illam. Sic iſte, per ultima ſupra Vaſquezium liberalis.

Laymann, utroque indulgentior, c. 5. §. 2. n. 9. ſic habet: Doctor alter conſulenti conſilium dare poteſt, non ſolùm ex propria, ſed etiam ex oppoſita probabili aliorum ſententia, ſi fortè hæc illi favorabilior ſeu exoptatior ſit. immo arbitror, inquit, nihil à ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus ſignificet conſulenti, opinionem à quibuſdam viris doctis tanquam probabilem defendi, quam proinde ſequi ipſi liceat: *quamvis idem Doctor ejuſmodi ſententiam ſpeculativè falſam eſſe certò ſibi perſuadeat,* ut proinde ipſemet in praxi eam ſequi non poſſit. cùm enim conſulens in re dubia jus habeat ſe conformandi opinioni,

quæ

quæ à quibuſdam viris doctis defenditur, nihil obſtante, quòd aliqui alii contradicant, & ſpeculativè ſententiam *improbabilem* judicent; hoc ipſum jus conſulenti Doctor indicare non prohibetur. Similiter, ſi pœnitens in praxi bona fide ſequatur ſententiam, quæ à quibuſdam Doctoribus tanquam probabilis, ac tuta defenditur; Confeſſarius verò, ſeu Ordinarius ſeu Delegatus eandem ſpeculativè *improbabilem* cenſeat, nihil obſtante ſua perſuaſione, tenetur abſolutionem conferre. probatur. Confeſſarius, audita confeſſione, non poteſt abſolutionem negare pœnitenti rectè diſpoſito, nullumque peccati obicem ponenti. atqui ſequendo probabilem opinionem pœnitens non peccat; ac proinde, quatenus eſt ex hoc capite, rectè diſpoſitus eſt; ergo non poteſt illi abſolutio negari. Igitur reprehendenda eſt ea Confeſſariorum conſuetudo, qui veriti confitentem contra propriam ſententiam abſolvere, eundem ad alium Confeſſarium ablegant, qui oppoſitam probabilem opinionem tenet. Si enim ille alter abſolvere poſſit, cur non & tu poſſis. aut cur tua ſpeculativa perſuaſio pœnitenti obeſſe debeat? ita iſte. plures non addo, cum hi in re apud Probabiliſtas decantatiſſima, & ſolenni ſuffi-

Digitized by Google

ciant; maximè, cùm etiam ipſi quàm plurimos citent, qui videri poterunt.

His ita ſe habentibus, veniat quidàm pœnitens ad talem Probabiliſtam, eique confiteatur, ſe conſueviſſe ex aſpectu, colloquio, & cantu puellæ, (non dico oſculis) delectatiunculas quaſdam venereas captare, ſine alio graviore lapſu, aut periculo, ob abſentiam vehementioris impulſus: & ſe quidem de hoc valde dolere, occaſionem tamen non depoſiturum; eò quòd nec periculum gravioris lapſus adſit, experientia teſte; & ipſæ delectatiunculæ ſint tantùm venialiter peccaminoſæ, ob parvitatem materiæ; quam in re venerea dari, ipſe teneret ut probabile, propter auctoritatem plurimorum Doctorum, id aſſerentium. Illos autem placet referre ex P. Mendo in Statera Opinionum benignarum Diſſert. 5. q. 1. n. 1. ubi ſic ait: Docuerunt plures, in re venerea dari parvitatem materiæ. Martinus de Magiſtris relatus à Fr. Joan. Henriquez in Summ. Sect. 8. q. 8. n. 21. Jabellus, Joan. Nider, Margarita Confeſſorum, Jo: Viguerius, Tabiena, Gabriel, Carthuſianus, & Sebaſtianus de Medicis, Dominic. Soto, Samuel Lublinus, Armilla, Michael Zanardus, Marchantius, Caramuel, referens Malderum & Villalobos,

lalobos, atque aſſerens, ei favere Seraphinum de Freitas, Jo: Sanchez, Miranda, & alios. Baſſæus, Bonacina, Aravjo, Landmeter, Thomas Hurtado, Thomas Sanchez de Matr. l. 9. d. 46. n. 9. & 27. & 40. in prima editione. qui tamen in Summ. hoc retractavit. His omnibus nixus pœnitens, judicat, probabile eſſe, ſuas delectatiunculas, ob parvitatem materiæ, eſſe tantùm leviter, ſive venialiter peccaminoſas. Quid igitur faciet Noſter Probabiliſta? negabit abſolutionem? At hoc eſt inferre injuriam pœnitenti rectè diſpoſito, ut ipſi dicunt: hic autem eſt evidenter rectè diſpoſitus; ſequitur enim ſententiam ſibi probabilem, & conſequenter, juxta adverſarios, evidenter honeſtè in praxi eligibilem: & quamvis Confeſſarius contrarium ſentiat, hoc tamen non reddit pœnitentem indiſpoſitum, nec, juxta ipſos, obligat pœnitentem ad aliter ſentiendum; quia nemo tenetur propter alterius contrarium ſenſum deſerere id, quod evidenter honeſtè ac prudenter amplectitur. debebit ergo abſolvere. At hoc non quidem verbis, ſed ipſo facto, eſſet talem opinionem approbare ut tolerabilem, & ſecundùm illam operari, ſive ſequi illam in praxi. quod ſanè graviſſimè prohibitum eſt in Socie-

 tate.

Digitized by Google

tate. nam inter alia præcepta, habetur hoc, ad votum Caſtitatis pertinens: *In virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis, & privationis Lecturæ, vocis activæ, & paſſivæ, nec non inhabilitatis ad quælibet officia, aliiſque pœnis arbitrio Præpoſiti Generalis infligendis præcipitur; ne quis in Societate, publicè vel privatim, non modò ut veram, & probabilem; ſed ne ut tolerabilem quidem, ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt, in re venerea exiguam aliquam delectationem, deliberatè quæſitam, propter levitatem materiæ excuſari à mortali: aut placere ſibi ſignificet, aut ſecundùm illam conſilium cuiquam det.* non ergo licebit cum tali agere, tanquam ſolùm venialia afferret, & per conſequens non licebit abſolvere, non impoſita, & acceptata ab eo obligatione vitandi occaſionem hujuſmodi lapſuum. hoc autem, ſecundùm principium adverſariorum, eſt facere injuriam pœnitenti. nam licèt hæc prohibitio hominibus, qui de Societate ſunt, reddat improbabilem oppoſitam ſententiam; non tamen illis, qui extra ſunt; & quibus Societas præcipere nil poteſt; ergo pœnitens, retinens ſententiam oppoſitam tanquam probabilem, & ſecundùm illam ſe diſponens, rectè eſt diſpoſitus; ergo vel Confeſſarius, ipſum re-

cuſato

cuſato onere occaſionis vitandæ non abſolvens, illi facit injuriam: vel ſi à ſe hanc notam velit amoliri, prætextu negatæ ſibi licentiæ, tacitè dicit, Societatem illam injuriam inferre, ut quæ prohibeat abſolvere, evidenter rectè diſpoſitos. quod quidem priore longè durius eſt. ergo principium adverſariorum, quo volunt, ſecundùm minùs probabilia operantem, evidenter honeſtè operari, ad ſatis ardua deducit. Neque obſtare poteſt Reſcriptum, ſi quod fortè à Probabiliſtis acceptũ aliquando emanaverit: contra hos ipſos enim pugnamus; quòd vel concedant, quaſi levia tractari poſſe, quæ graviſſimè prohibentur pro levibus haberi: vel obligent ad agendum re ipſa ſecundùm opinionem, quam quis tenetur judicare improbabilem, & falſam, & nullo modo tolerabilem.

ARTICULUS X.

Referuntur quædam Propoſitiones à Summis Pontificibus prohibitæ, quæ videntur ex principio Probabiliſtarum prodiiſſe.

NE virgulam cenſoriam in nos quatiant adverſarii, tanquam non

Digitized by Google

diſtingueremus inter probabilitatem de valore, & inter probabilitatem de licentia; omnino, ſemel pro ſemper, ſolenniter fatemur, hæc duo inter ſe diverſiſſima eſſe. poteſt enim dari probabilitas de valore, quin detur probabilitas de licentia. Sic probabîle eſt, quòd baptiſmus collatus in Nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, ſit validus: minimè tamen eſt probabîle, quòd liceat illum ſub tali forma adminiſtrare; eò quòd Sacramentum non ſit exponendum periculo nullitatis, extra caſum neceſſitatis. Similiter judex, propter ſuam peritiam, auditis partibus, bene cognoſcit, hanc partem habere probabiliores pro ſe rationes, alteram minùs probabiles: ſed per hoc nondum cognoſcit, an ſibi liceat ſententiam ferre pro parte circa juris demonſtrationem debiliore. hæc enim eſt alia quæſtio; & reſolvi debet vel ex Legibus: ut quòd in cauſa probabili favendum ſit Orphanis, Pupillis, Viduis, Peregrinis, Eccleſiæ, &c. vel ex prudentibus rationibus: vel ex auctoritatibus. Nunc igitur dico, Probabiliſtas, ex ſuo principio & hanc, & multas alias quæſtiones, ita reſolviſſe, ut ipſorum effata non pauca à Summis Pontificibus ſub anathemate videantur

pro-

proſcripta . ex quo utique clarum ſit, illud principium non eſſe evidens, nec tale, ut quiſquis ſecundùm illud ambulat, evidenter rectè, ac laudabiliter ambulet. ut oſtendam, quod dico, referendæ ſunt ſententiæ Probabiliſtarum.

Andreas Mendo Diſſert. 13. qu. 15. §. 1. concludit in hunc modum. Integrum eſt judici quamvis opinionem, etiam minùs probabilem ſectari circa poteſtatis, & juriſdictionis ſuæ exercitium. & addit, ſic omnes ſentire, qui cuiuſvis opinionis probabilis ductum putant eſſe ſecurum. neque enim eſſe ſpecialem rationem, quare judex uti non poſſit hujuſmodi opinione probabili, ſicut & alii poſſunt. atque eſſe hanc litigantium perſuaſionem. hinc enim, inquit, oritur litigantium anxietas, ut judices ſibi alliciant, & eorum impetrent favorem; quaſi omnibus jam ſit manifeſtum, in litibus, in quibus neutra pars injuſtè pro ſe contendit, poſſe judicem ſectari opinionem, quàm maluerit. quòd ſi ipſis compertum foret, probabiliorem ſententiam non poſſe non prævalere minus probabili, incaſſum ſic angerentur ad judicis gratiam ſibi conciliandam, ſed ſolùm de ſui juris allegatione ſolliciti eſſent. Præterea

Digitized by Google

[pergit idem] nec adverſarii negabunt, noſtram concluſionem ſaltèm eſſe probabilem ; ergo eam poteſt judex tutiſſimò ſequi : formando ſibi ſcilicet dictamen ex hac ipſa probabilitate, quæ aſſerit licentiam. quod enim eſt probabiliter [comparativa etiam probabilitate] licitum, eſt evidenter prudenter ac honeſtè eligibile, ut habet principium Probabiliſtarum. Et conſentit circa hunc modum formandi ſibi dictaminis Vaſq. d. 64. c. 2. n. 5. ubi ait, quòd ex diverſis opinionibus, una aſſerente, judicem poſſe ſic judicare, altera negante, poſſit judex ſequi quamcumque, iuxta dicta in diſp. 62. dixerat autem ibi, licitum eſſe cuivis ſequi minùs probabilem de licentia actionis.

Ejuſdem mentis eſt Sanchez l. 1. c. 9. n. 43. ubi notat, ſe non agere, quando eſt controverſia, an liceat judici hoc vel illud agere; de hoc enim jam univerſaliter n. 14. traditum eſſe, licere opinionem minùs probabilem ſequi. adeòque juxta hos Auctores, licèt judex præcisè ex rationibus minus probabilibus, vel de jure partium, vel de ſenſu Legis, fortaſſe non rectè poſſit ſibi formare directum judicium, quòd honeſtè ferat ſententiam pro parte minùs probabili [quamvis hoc ipſum Mendo n. 207. & apud

apud Lugonem Medina, Aragonius, Salon, Petrus de Ledeſma, Salas, Jo: Sanchez, & alii relati à Diana p. 2. tr. de Opin. Prob. reſol. 3. affirment] tamen reflectendo ſe ad opiniones Doctorum, quorum alii negent, alii affirment, honeſtè ac licitè ferri ſententiam pro parte habente minùs probabiles rationes, aut minùs probabiliter faventem legem, poterit formare ſibi judicium ſecundùm opinionem minùs probabilem Doctorum, ſe licitè ferre ſententiam pro parte habente rationes minùs probabiles, aut legem ſibi minùs probabiliter faventem. faciliſſimo igitur remedio poterit judex, reflexa ſaltèm dexteritate, id ſibi licitum facere, quod vúlt, v. g. ſententiam partis minùs probatæ: modò nimirum ad quoſdam Doctores minùs probabiliter id indulgentes mentis aciem reducat.

Concedit hoc ipſum in iſto ſenſu [poſito nimirum, quòd licentia judicandi ſecundùm fundamenta minùs probabilia alterius partis, probabiliter ab Auctoribus affirmetur] P. Haunoldus lib. 2. tr. 1. controv. 3. ubi ſic ait: *univerſaliter, & ſine exceptione, verum eſt, quòd quando habetur probabilitas de licentia actùs, hoc ipſo poſſit formari judicium,* licere. *Suo autem loco videbimus, an*

probabile ſit, quòd judici liceat ſententiam ferre pro cauſa minùs probabili &c. quamvis verò hic Auctor pro probabili non habeat, tamen Sanchez n. 46. & 47. pro tali habet his verbis: quidam cenſent, poſſe judicem ſententiam ferre juxta opinionem, quam minùs probabilem putat. quia nec temerè, nec imprudenter agit, utpote, qui ratione probabili ducitur. *quamvis autem hoc ſit probabile*, tamen probabilius judico, eum teneri ſententiam ferre juxta opinionem probabiliorem.

Petrus Cornejo tr. 8. diſp. 3. dub. 6. aſſerit hoc tanquam probabilius, his verbis: abſolutè loquendo (hoc eſt, abſtrahendo à cauſis criminalibus, & piis) *probabilius* judico, poſſe judicem licitè ſequi opinionem minùs probabilem, dummodo ſimpliciter probabilis ſit. & infrà: ex quo, inquit, infero, poſſe licitè judicem abſolvere innocentem probatum nocentem, maximè ſi ſit homo magnæ auctoritatis, vel vtilitatis in Republica, quando non poteſt ſubterfugere judicium, ſed cogitur proferre ſententiam, & certò & evidenter ſcit, illum falsò accuſari: non obſtante, quòd opinio D. Thomæ, aſſerens teneri eum damnare, ſit multùm probabilis, imò & probabilior. ex quo patet, quòd hic Autor

loqua-

Digitized by Google

loquatur de probabilitate, quæ eſt de licentia actionis: & quòd ſentiat, talem probabilitatem minorem, circà licitè ferendam ſententiam à judice, dari, imò & majorem, cùm ipſe coucludat, vt probabilius licitum. Cui quoad caſum de innocente convicto, apud P. Illſung. tr. 4. diſp. 2. a. 6. n. 28. conſentiunt Leſſius, Laymann, Haunoldus, & alij. Cęterum Laym. tr. 1. c. 5. §. 3. nu. 16. cavendam ait doctrinam Medinæ 1. 2. q. 19. a. 6. dub. penult. ad ult. ubi docet, ſi contrariæ ſint opiniones probabiles de jure, poſſe judicem, relicta probabiliore, judicare ſecundùm alteram probabilem. eò quòd, inquit Laym. hæc quæſtio non practica, ſed ſpeculativa ſit, malèque ex rationibus probabilibus de jure partis litigantis, inferatur probabilis licentia ſecundùm illas judicandi. Eſt autem Medina apud aduerſarios ferè primi nominis. Nam P. Illſung a. 6. §. 6. n. 57. eum ex Antonio Senenſi appellat Theologum eximium, & conſummatiſſimum, qui morum probitate & religionis præſtantia non minori, quàm doctrina præditus fuerit.

Ex his miſcellaneis aduerto, Probabiliſtas inter ſe inſigniter diviſos eſſe. Nam alii dicunt, licitum eſſe ſecundùm rationes minùs probabiles circà jus partium,

tium, ferre ſententiam; ut Medina. Hunc verò cavendum monet Laymann, tanquam malè confundentem quæſtionem ſpeculativam cum practica: adeò ut ipſiſmet cenſoribus, præcipuus, & laudatiſſimus ipſorum anteſignanus, principium probabiliſticum non rectè poſſederit, nec ſciverit, quando illud applicandum ſit. Alii, quamvis fateantur, ſecundùm rationes minùs probabiles, quas partes pro ſe afferunt, vel legum interpretatio miniſtrat, non eſſe licitum, directè, ferre ſententiam; tamen dicunt, probabiliter, vel etiam probabilius, doceri, quòd liceat ſecundùm illas minores rationes ferre ſententiam. Vndè ſic ſaltèm reflexè poſſet ſibi judex formare dictamen practicum ex principio Probabiliſtarum, dicendo intra ſe: quod probabilitate comparativa aſſeritur licitum, eſt prudenter à me eligibile: ſed me ferre ſententiam licitè pro parte minores rationes habente, probabilitate comparatiua aſſeritur; ergo. his verò reſiſtunt alii ex Probabiliſtis, & negant, probabiliter doceri, licitum eſſe judici judicare pro parte minores rationes habente: ut Haun. & ante ipſum Bardi diſcept. 4. c. 27. n. 19. & 20. & noviſſimè P. Illſung. a. 7. §. 3. nu. 81. Alii denique videntur aſſerere, quòd, etiam

etiam poſito, probabiliter doceri, licitum eſſe, ſententiam ferre pro minore parte, nihilominus tamen ex hac probabili, de licentia, opinione Doctorum, non poſſit ſibi formare dictamen judex. Nam hunc, & medicum, & ſimilia alia, excipere ſolent à ſua concluſione illa univerſali practica. ut mirer, quomodo judex honeſtè eligere non poſſit, quòd evidens eſt (juxtà principium Probabiliſtarum demonſtrativum) ipſum honeſtè eligere poſſe; eò quòd prudentes probabiliter doceant, poſſe ipſum hoc honeſtè, ac licitè eligere. Vel enim ſe obligavit judex ad ſectanda probabiliora, vel non? Si prius; ergo non probabiliter docent, qui minùs probabilia illi concedunt. Eſt enim apertè falſum, quòd obligato ad probabiliora, ſint licita minùs probabilia. Si verò non ſe obligavit ad probabiliora; cur non licet ipſi operari ſecundùm minùs probabilem, de licentia, opinionem; cùm evidens ſit, iuxtà aduerſarios, ſecundùm hanc honeſtè, ac licitè fieri operationem? itaque ita inter ſe, & circa ſuum principium diſſentiunt, ut non minùs ſe, quàm nos habeant aduerſarios.

Interim dum ipſi ſe concutiunt, cadit ex Capitolio fulmen, ab Innoc. XI. in hanc propoſitionem vibratum. *proba-*

bili-

biliter exiſtimo, judicem poſſe judicare iuxtà opinionem etiam minùs probabilem? quem ferit hic ignis? non nos, qui probabiliora tequirimus: ergo aduerſarios, qui minùs probabilia concedunt. quos autem? vel pleroſque, vel præcipuos. pleroſque quidem, ſi prohibitio quoad ultima verba intelligatur de minùs probabili opinione circà licentiam; ut ſenſus ſit: probabiliter exiſtimo, judicem poſſe judicare iuxtà opinionem etiam *minus probabilem de licentia*. Nam plerique Probabiliſtæ docent, ſaltèm ſub opinione, & ut probabile, quòd liceat ſequi minùs probabilem de licentia. Noſtri autem R.R. quia demonſtrationem habent ſui principii, etiam evidens judicant, licitum eſſe agere ſecundùm minùs probabilem de licentia, cùm igitur, qui *probabiliter exiſtimant* dictam propoſitionem in hoc ſenſu, icti ſint, quid illis factum fuerit, qui illam habent *ut evidentem*? quòd ſi dicta prohibitio intelligatur de minùs probabili opinione juris, hoc eſt, de rationibus minoribus, quas altera pars pro ſe affert, vel de minùs probabili interpretatione legum pro illa parte; percuſſus eſt Medina, Hercules aduerſariorum, & cùm Medina Mendo, Salon, Ledeſma, aliique ſupra citati, quibus vel probabile,

vel

vel etiam probabilius viſum eſt, licitum eſſe ſententiam ferre ex rationibus de jure, aut ſenſu legum, minoribus. Et vnde hi Autores ita ſenſerunt? ex principio ſuo ſolenni: quòd nempe qui ex minùs probabilibus procedit, nec temere, nec imprudenter agat, atque adeò licitè. ergo ex principio Probabiliſtarum hæc damnata propoſitio prodivit, malus fructus! multum, ſi arboris bonæ. Soli igitur illi Probabiliſtæ ab hujus Pontificii fulminis afflatu immunes remanſerunt, qui etiam dato, quòd probabiliter doceatur, licitum eſſe judici ferre ſententiam ſecundùm opinionem minùs probabilem de licentia, tamen negant, poſſe judicem ferre ſententiam ſecundùm talem opinionem, hoc eſt, qui negant, *judici eſſe honeſtum ex illo principio agere, ex quo evidenter agitur prudenter*: quòd ipſis Probabiliſtis chimericum eſt, & fulmine ipſo funeſtius.

Quòd ſi dicant, hanc propoſitionem Medinæ, & aliorum, ex malo vſu principii Probabiliſtici prodiiſſe, dum ex minùs probabili de valore, aut re, aut objecto, intulerunt licentiam operationis; cùm tamen hæc non poſſit legitimè inferri, niſi ex minùs probabili de licentia: ergo fatentur, præcipuos Probabiliſtas, quibus plurimùm gloriantur,

non

Digitized by Google

non eſſe ſuos ; ut qui erroneo , & à vero Probabiliſmo prorſus diſtincto principio ducti ſint, & grauiſſimè erraverint. quare aut omittenda erit auctoritatum ſeries, quàm pro ſe ab anno 1577. vſque ad annum 1658. retexunt : vel agnoſcere debebunt, ex principio Probabiliſmi & hanc propoſitionem prohibitam, & multas alias profluxiſſe. quòd ſtatim oſtendo, doctrinam, & modum procedendi ſecundùm Probabiliſmum, ex alio aduerſariorum Autore in medium producens.

ARTICULUS XI.

Pr ſecutio prioris tituli.

VASQUEZ d.63. tam clarè proponit Probabiliſmum, ut de ejus natura, quam habuit, cùm floreret, dubitare non poſſit, qui hunc Autorem legerit. vel ergo hodie eſt novus, & prorſus alius Probabiliſmus, grandium illorum Doctorum autoritate deſtitutus ; & ſic inanis eſt gloriatio adverſariorum : vel eſt, qui fuit ; & ſic ob prohibitos ſuos fructus erit exſcindendus. cap. 1. & 2. hic Autor ſic habet.

Hactenus in univerſum oſtendimus, licitum eſſe operari juxta probabilem opi-

opinionem : *id quod intelligendum eſt, quandò varietas opinionum in hoc conſiſtit, utrum liceat illud agere, an non : & hoc in quavis materia univerſim verum eſſe arbitror*. (Ecce, licentiam ſequendi opinionem de licentia) Cęterum quia in variis materiis variæ ſolent eſſe opiniones, quæ non verſantur in hoc, utrum liceat operari, an non, ſed in aliquo priori, puta, utrum hoc, & illo modo integrè fiat Sacramentum, an non, utrum in hoc caſu jus alicujus Regni pertineat ad hunc Regem, an ad alium, & aliæ hujuſmodi, ex quibus non ſemper debet ſequi etiam varietas opinionum in operando hoc, aut illo modo, placuit ſigillatim de his diſputare, & oſtendere, quando licitum ſit, hujuſmodi probabilem opinionem ſequi, & ex tali opinione formare rectum conſcientiæ dictamen ad operandum, & quando hujuſmodi probabilitas non ſufficiat. (Ecce ſtatum quæſtionis etiam extenſum ad probabilitatem de valore, aut jure, an ex tali etiam probabilitate procedi poſſit ad rectum de operatione judicium, & ad rectè operandum. Audiamus nunc quid ſentiat.)

Primò refert aliorum ſententias, & ait : Petrus Sotus l. de inſtitut. Sacerdotum lect. 2. de Euch. exiſtimat, licèt

ſint

Digitized by Google

ſint diverſæ opiniones de materiâ legitima Euchariſtiæ, quia tamen in Sacramentis dubia relinquenda ſunt, & tantùm quæ ſunt certa, ſequenda, ideò eum, qui conſecraret materiam, de qua ſunt variæ opiniones, graviter peccaturum: quare docet, in his rebus tutiorem partem eſſe eligendam, ne forte irritum fiat Sacramentum. quàm ſententiam nonnulli recentiores ſequuntur. addunt tamen, tunc ſaltèm licere uti opinione probabili in Sacramentorum adminiſtratione, quoties urget aliqua neceſſitas, etiamſi tunc periculum ſit efficiendi irritum Sacramentum. Alii verò recentiores arbitrantur, perinde liberum eſſe vti opinione probabili in adminiſtratione Sacramentorum, etiamſi periculum ſit efficiendi irritum Sacramentum, atque in quacunque alia materia. Nam quemadmodum licitum eſt vti opinione probabili, ne aliquid reſtituatur, cùm periculum eſt, an res illa ſit aliena, eodem modo licebit ſequi opinionem probabilem in adminiſtratione Sacramentorum, & ex illa deducere judicium conſcientiæ ad rectè operandum, etiamſi in re ipſa periculum ſit efficiendi Sacramentum irritum. (Ecce modum diſcurrendi Probabiliſtarum, & rationem formandæ conſcientiæ ex Vaſquez, qui vtique

que Probabiliſmum intellexit : aut ſi non intellexit, nec ipſe, nec illi tùm temporis recentiores; vbi ſunt Patroni Probabiliſmi, quem adverſarii defendunt, & quales, ſi, quibus gloriantur, Probabiliſmum non intellexerunt?)

Deinde c. 2. advertens, quòd in adminiſtratione Sacramentorum duplex poſſit obligatio conſiderari: una, quæ oritur ex charitate providendi proximo remedium per Sacramentum; altera, quæ oritur ex reverentia debita Sacramento; de hac ſecunda obligatione ſic concludit n. 5. Si non obſtet Eccleſiæ uſus, & conſuetudo recepta, & in adminiſtratione Sacramenti ſit varietas opinionum probabilium ſivè circà materiam, ſive circa formam, licitum eſt ſequi opinionem probabilem, & ex illa colligere judicium conſcientiæ, quòd liceat ita adminiſtrare Sacramentum, etiam pro parte minùs tuta, in qua poteſt eſſe periculum efficiendi irritum Sacramentum, aut effectum illius. (Ecce licentiam operandi conceſſam ex probabilitate circa valorem.) Tùm incipiens probare concluſionem ſic pergit. Primò. quia non videtur major ratio, ob quam in Sacramentorum adminiſtratione debeamus ſequi partem tutiorem, & non ſufficiat ſequi probabilem, quàm in

qua-

qualibet alia materia, in qua ſufficit ſequi probabilem, & ex illa judicium conſcientiæ rectum deducere ad operandum: quòd enim dicitur in Sacramentorum adminiſtratione ſubeſſe periculum, ut ſi tutior pars non eligatur, fiat irritum Sacramentum, non videtur ſufficere, ut partem tutiorem neceſſariò debeamus eligere. Nam ſi ratio probabilis aſſerit, non fieri irritum Sacramentum, probabiliter etiam ſequitur, eo modo ritè, & rectè adminiſtrari: quare non erit contra prudentiam, & religionem ex hac opinione colligere judicium ſingulare, quo credamus, licere nobis adminiſtrare eo modo Sacramentum: neminem enim obligat prudentia, ut cum evidentia ſemper operetur, quòd autem re ipſa forſan fiat irritum Sacramentum, aut ſine effectu, ſi adminiſtretur ſecundùm illam opinionem, non videtur irreverentia moralis, quæ operanti imputetur, quando ille, qui adminiſtrat, probabiliter, & ſecundùm rationem exiſtimat, non fieri irritum: ſicut etiam cùm ſunt variæ opiniones de obſervatione alicujus alterius pręcepti, non ſit irreverentia, nec cenſetur tranſgreſſio, operari ſecundùm opinionem probabilem minùs tutam, cum qua eſt periculum faciendi aliquid, quòd reipſa vetitum ſit. (Ecce

ratio-

rationem ex ipſo Probabiliſmo deſumptam; & nota, quale fuerit tuorum, quibus gloriaris, Probabiliſtarum principium.) Deinde ponens alteram probationem, ſic pergit. probatnr etiam communi exemplo, quo utuntur recentiores, qui hanc ſententiam ſequuntur: nam licitum eſt adminiſtrare Sacramentum ei, quem novit Confeſſarius conſcium eſſe ſe habere ſolam attritionem de peccatis, quamvis in opinione poſitum ſit, utrum attritio ſcita ſufficiat, an potius ſaltèm exiſtimata contritio requiratur ad hoc Sacramentum. Nam quamvis Concilium Trid. ſeſſ. 14. c. 4. definiat, contritionem imperfectam, quam vocamus attritionem, eſſe ſufficientem diſpoſitionem, ut cùm Sacramento pœnitentiæ quis juſtificetur, tamen non definit, utrum hoc intelligatur de attritione exiſtimata contritione, an de attritione etiam cognita, ut tali; ergo licitum erit adminiſtrare quodlibet aliud Sacramentum cum opinione probabili, etiamſi ſit minùs tuta. aut oſtendant, inquit ad finem n. 8. (Si placet, & poſſunt) diſcrimen aliquod; quòd ego (Vaſquez) hactenus non vidi, nec audivi. (Ecce iterum ex probabilitate valoris ad licentiam. & quamvis apud P. Illſung. a. 7. n. 77. reddatur ratio,

cur

Digitized by Google

cur non ſit requirenda contritio, ſaltèm imperfecta, ex motivo charitatis partialiter procedens; quia talis obligatio eſſet ſcrupulis, & magnæ difficultati obnoxia: tamen hæc ratio non urget contrà attritionem *exiſtimatam* contritionem; quia hæc exiſtimatio facilè haberi, & cognoſci poteſt, nec conatus ad contritionem exiſtimatam eſt multum difficilis.)

Poſt hæc n. 9. additionem illam recentiorum quorundam, de licita adminiſtratione, ſi inſtet neceſſitas, refutans, concluſionem ſuam extendit ad caſus etiam extra neceſſitatem; ut non ſit illicitum, adminiſtrare Sacramentum ex opinione valoris, quantùm eſt ex parte religionis, ſive reverentiæ Sacramento debitæ. Cap. autem 3. concludit, legem charitatis requirere, ut miniſter Sacramenti non adhibeat probabilem materiam, vel formam, ſi poteſt habere certam.

Vaſquezio jungo Th. Sanchez, eòſque quos citat c. 9. n. 33. ubi ſic ait: exiſtimo probabilius eſſe, licere in Sacramentorum adminiſtratione uti opinione minùs probabili, relicta probabiliore, ac tuta, non obſtante irritandi Sacramenti periculo. cum duplici tamen limitatione. Prior eſt, ut ſit in re, quæ non eſt

con-

contra communem Eccleſiæ vſum, præſcribentem, ut eo modo, & non aliter adminiſtrentur Sacramenta: quia conſuetudo Eccleſiæ vim præcepti habet. Poſterior eſt, ne pars minùs tuta, quamvis probabilior ſit, deroget obligationi caritatis. Hanc ſententiam latè, & optimè defendit Vaſquez, Salon, Sayr. Salas. & ratio eſt, quia nec committitur irreverentia, nec culpabiliter exponitur Sacramentum irritationi. non primum; quia nulla eſt irreverentia Sacramenti, illud miniſtrare cum periculo, ut irritum ſit, ſequendo opinionem probabilem. quia quamdiu quis ſequitur opinionem probabilem, prudenter putat illud eſſe convenientem miniſtrandi modum, & nulli ſe contravenire præcepto, nec irritari Sacramentum; ergo ſicut credens, aliquid probabiliter non eſſe contra præceptum divinum, & ob id illud faciens, minimè injuriam præcepto divino irrogat; ſic non irrogat Sacramento, qui probabiliter credit, illum eſſe convenientem miniſtrandi modum. non etiam ſecundum, quòd ſcilicet culpabiliter exponatur Sacramentum, ut ſit irritum. quia ad rectè operandum, & ne cenſeatur homo culpabiliter ſe exponere periculo, ſatis eſt, ſi id efficiat cum prudenti aſſenſu, dictante probabiliter

G id

Digitized by Google

id eſſe licitum, ac Sacramentum non reddi irritum, &c. ità Sanchez. conſentit Barth. Medina, & alii, quos refert Caſtro Palao diſp. 2. p. 5. n. 5.

Nunc quæro, an hi vertices Probabiliſtarum, rectè tractaverint principium Probabiliſmi, eòque ritè uti noverint? Si non? quibus gloriantur? imperitis circa ipſum Principium? Si autem; ergo iterum adeſt propoſitio prohibita, ex Principiis Probabiliſmi exorta. eſtque inter prohibitas ab Innocentio XI. ordine prima, & ſic habet: *non eſt illicitum, in Sacramentis conferendis ſequi probabilem de valore Sacramenti relicta probabiliore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione baptiſmi, ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis*. En primam partem totam horum Autorum in terminis, alteram autem in re; quia in baptiſmo obſtat vel Eccleſiæ conſuetudo iuxta ipſos, quæ vim legis obtinet, vel caritas, ne proximo ex irrito fortè Sacramento graviter noceatur; vtì etiam fieret in ordine Sacerdotali aut Epiſcopali; quia talium actus, quibus exercent officia ordinum, eſſent cum gravi præjudicio & damno invalidi. Ex fructibus igitur Probabiliſmus cognoſcendus eſt. in quo

[abſit,

Digitized by Google

[abſit , ut notam inferam ; ſenſum ſolummodo expono meum] quid ampliùs damnari à Pontificibus poſſit , vix video . probabilitas enim valoris ad inferendam licentiam , aſſerta à præcipuis Probabiliſtis , damnata eſt . probabilitas quæcunque de licentia , modò intra limites probabilitatis ſit, agnita pro ſufficiente nuper à Probabiliſtis , etiam damnata eſt . probabilitas magna , & comparativa de licentia , videtur etiam fuiſſe jam damnata , ſaltèm in æquivalenti & ſecundùm quid . cùm enim multi , & graves Autores aſſeruerint , licitum eſſe judici ſententiam ferre pro amico , & parte debiliore , utique hæc auctoritas , ante prohibitionem , fecit hujus licentiæ probabilitatem comparativam ; præſertim cùm Autores contrarii dixerint , illos probabiliter hoc aſſerere : hæc ergo licentia, ex tanta auctoritate extrinſecè verè probabilis , cùm ſit prohibita , videtur , Probabiliſmo ne quidem ſua comparativa de licentia probabilitas conſtare : aut ſaltèm per tales prohibitiones ſatis declaratum eſſe, quòd principium Probabiliſtarum recentiorum , nempe evidens eſſe , quòd eligat honeſtè , qui eligit probabiliter aſſertum ut licitum , minimè ſit verum , nec evidens : quia Pontifices non ſolent

 prohi-

prohibere hominibus illa, quæ evidenter ab hominibus poſſunt eligi honeſtè. Sic enim occaſio daretur multis tranſgreſſionibus; cùm homines à potiori non ſoleant conſectari perfectionem, & ſatis habeant, ſi prudenter ſe gerant in ſuis actionibus. itaque de probabiliſmo vix aliquid ab ignibus ſacris, præter rudera, relictum eſt; quæ ipſi tandem Probabiliſtæ, feliciter pro nobis inter ſe diviſi, ſolo æquabunt. cùm enim pro Antiprobabiliſtis Summi Pontifices ſint, ipſorum Adverſarios damnantes, non audebunt dicere, Antiprobabiliſtas, probabiliora requirentes cum Pontificibus, evidenter falli; ergo non ampliùs poterunt principium ſuum habere pro evidenti & demonſtrativo, aut certo: cum probabili autem ipſi dicunt, non poſſe ſe ſubſiſtere: hinc enim judicium de honeſtate habent pro impertinente, quod nec juvet, nec noceat; & ad ſolam probabilitatem honeſtatis confugiunt tanquam evidentem; ergo ſi ex hoc non poſſint concludere certum aut evidens dictamen, eò quòd ſententiam oppoſitam, quam Pontifices promoverunt hactenus, dicerent evidenter erroneam, nihil ipſis, niſi ut nobiſcum ſentiant, quod opto, reliquum eſt.

Addo tertiam ſobolem ex Probabiliſmo

liſmo prognatam, & à Summis Pontificibus repudiatam. Docuerunt Bannes, Petrus Ledeſma, & alii, ad obligandos infideles, & hæreticos, ut noſtram fidem amplectantur, non ſufficere, quòd illis doctrina catholica reddatur credibilis, ſed neceſſarium eſſe, ut proponatur tanquam magìs credibilis, quàm illorum Secta: tunc enim, etſi ipſis ſua Secta adhuc videatur credibilis, obligatos eſſe, ad credendum cum catholicis. Diſplicet hoc dictum Sanchezio, tanquam nimis generale, illudquè ſolùm pro articulo mortis recipit, indulgens pro reliquo tempore licentiam permanendi in Secta, quamdiu, inquiſitione veritatis interìm non ſtudiosè prætermiſſa, manet talis ſectæ probabilitas. ejus verba l. 2. in Dec. c. 1. n. 6. hæc ſunt: Cæterùm hoc non placet ita generaliter dictum. quippe dum infidelis ſibi perſuaſum habet, ſuam ſectam eſſe probabilem, quamvis contraria ſit probabilior, teneretur utique in articulo mortis conſtitutus veram fidem, quam probabiliorem judicat, amplecti. at extra eum articulum non tenetur: *quòd adhuc prudenter exiſtimet, ſe poſſe in ſua Secta perſeverare*, tempuſquè rei meliùs examinandę ſuperſit. Adde, myſteria fidei tam ſublimia eſſe, ac chriſtianos mores adeò carnis & ſan-

guinis legibus repugnare, ut non quævis major probabilitas ſufficiens reputetur ad inducendam credendi obligationem. Tandem quia D. Thomas requirit, ut res videatur credenda, ſive credibilis: at dum contrarium repræſentatur ut credibile non eſt evidentia credibilitatis alterius partis. quare tunc cenſeo res fidei ita ſufficienter infidelibus proponi, ut præcepto divino ad credendum adſtringantur, & non credentibus imputetur culpæ infidelitas, quando ita fides rationibus, vitæ ſanctitate, contrariorum errorum confutatione, & ſignis aliquibus confirmatur, ut prudenter ratio ipſa incipiat præſcribere, res fidei auditas eſſe credendas, & contrariam ſectam eſſe falſam, &c. Hæc autem Sanchezij doctrina, ex Probabiliſmo ducta, ab Innoc. XI. damnata eſt. Sic enim habet 4. propoſitio ab illo Sanctiſſimo Pontifice proſcripta: *Ab infidelitate excuſabitur infidelis, non credens, ductus opinione minùs probabili*. Sinamus ergo Probabiliſmum, toties in ſcopulos impellentem.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICVLVS XII.

Oſtenditur, ex principio Adverſariorum maximum præiudicium inferri obedientiæ.

FIERI poteſt, & frequens eſt occaſio; ut Superior (ſive Eccleſiaſticus, aut Religioſus, ſive Sęcularis, iſque aut fidelis, aut infidelis) aliquid præcipiat, de quo, quamvis probabile ſit, quòd ſit licitum, tamen etiam probabile, vel probabilius ſit, quòd ſit illicitum. in quo caſu, quæſtio eſt, an teneatur Subditus obedire, vel poſſit citra culpam non obedire? & communiter reſpondetur, omnino, teneri Subditum obedire. probari ſolet ex S. Aug. relato in cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. ubi ait: *vir juſtus, ſi forte ſub Rege, homine etiam ſacrilego militet, rectè poteſt, illo jubente, bellare, ſi, quod jubetur, vel non eſſe contra præceptum Dei, certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt.* Si autem poteſt, debet; ergo. niſi enim, inquit P. Illſung §. 10. n. 72. *talem poteſtatem Superiores haberent, frequentiſſimè eluderentur illorum mandata, nec obtineretur finis per juriſdictionem intentus, qui eſt dirigere Subditum, præſertim, quando incertum*

 eſt,

eſt, quid ſit faciendum. Huic igitur fini, & obedientiæ Superioribus debitæ, plurimum præjudicari dico per principium adverſariorum; & hoc ſic oſtendo.

Si evidens eſt ſubdito, quod in tali caſu, non obediendo, honeſtè, ac licitè agat, tunc non tenetur, ſub peccato, obedire: Sed ſecundùm principium Adverſariorum evidens eſt ſubdito, quòd honeſtè, ac licitè agat, non obediendo; ergo. min. probatur. Si eſt verè probabile, quòd ſubditus poſſit honeſtè, ac licitè non obedire, tunc evidens eſt ſubdito, quòd honeſtè, ac licitè agat, non obediendo; quia, ſecundùm Adverſarios, *probabile de licentia, & honeſtè ac licitè eligibile*, ſunt idem: ſed eſt verè probabile, quòd ſubditus in poſito caſu poſſit licitè non obedire; ergo. min. probatur. quod plures, & nobiles Autores docent eſſe licitum, illud tanta autoritate, per oppoſitam non enervata, redditur probabiliter licitum: ſed ſubditum in poſito caſu licitè non obedire, plures, & nobiles Autores docent, doctrinâ & autoritate ipſorum non enervatâ. ergo. minorem quoad autoritatis nobilitatem, & ſufficientiam numeri probo ex ipſis Adverſariis. nam Bardi pro hac ſententia diſcept. 4. c. 26. n. 5. & 6. citat Salas, Joannem Sanchez, &

Pe-

Digitized by Google

Petrum Ledeſma , & n. 12. Franciſcum de Lugo, quem ait, fateri quidem, oppoſitam ſententiam eſſe communiorem, & in praxi ſuadendam; contrariam tamen putare probabiliorem, videlicet ſubditum non teneri in tali caſu obedire. addunt Mendo q. 15. §. 4. n. 234. & Pater Illſung n. 72. præclarum & amplum Scriptorem Caſtro Palao to. 1. d. 2. p. 6. n. 5. qui alios ibidem adducit complures. quòd autem horum Doctorum autoritas non ſit enervata, probo ex ipſis iterum Adverſariis, & quidem communi eorum conſenſu. Nam illi ſolùm docent, quòd ſubditus non poſſit licitè non obedire, ex eo ſolùm, quòd probabilius ſit illicitum id, quod Superior præcipit, ſicut ex eo, quòd probabilius ſit, Petrum eſſe furem tuæ pecuniæ, non ſtatim licitum eſt tibi, illas vel apertè, vel occultè ſurripere Petro: quòd ſi autem, inquiunt, probabilis ſit opinio Autorum, aſſirmans, ſubditum non teneri ad obediendum, quando præcipitur aliquid probabilius illicitum, tunc ſubditus, huic opinioni poteſt ſe conformare, & licitè non obedire. Audiamus nomine reliquorum Patrem Bardi. diſcept. 4. c. 26. n. 18. ſic habet: Dico 3. Si opinio, quam habet ſubditus immediatè verſetur circa obligationem,

 nempe

nempe ſit probabilis opinio, quæ hîc & nunc excuſat ſubditum ab obediendo, tunc ſubditus poterit opinionem excuſantem amplecti, & non obedire: ut volunt Autores ſuperius citati pro hac ſententia: quæ ſic probatur: licitum eſt unicuiq; ſequi opinionem practicè probabilem; at ſequens opinionem, quæ hîc & nunc excuſat ſubditum ab obligatione præcepti, ſequitur opinionem practicè probabilem; ergo licitum unicuique erit in tali caſu non obedire. major ſupponitur, inquit, ex dictis in hac diſcept. c. 10. & 12. minor verò ſuadetur; quia opinio habet, ut ſit practica ex eo, quòd eſt quidam determinatus aſſenſus verſans circa rem penſatis omnibus circumſtantiis intrinſecis, & extrinſecis, quæ poſſunt concurrere ad formandum aſſenſum ipſum, & ſi innititur rationibus alicujus ponderis, dicitur opinio practicè probabilis, & regula noſtrarum moralium actionum directiva: ſed quando opinio fertur circa obligationem, & ſubditum excuſat, procedit ex ponderatione omnium circumſtantiarum; aliter eſſet temeraria, & non prudens, & pro ſe habet rationes alicujus ponderis, ut nunc ſupponimus; in cõcluſione enim loquimur abſtrahendo ab hac vel illa opinione in particulari,

lari, & ſupponimus ſermonem eſſe de opinione, quæ probabilis exiſtimatur, de qua dicimus, quòd ſi verſetur circa obligationem parendi, poſſe ſubditum excuſari à præcepto: ergo ſequens opinionem, quæ hîc & nunc excuſat, &c. ſequitur opinionem practicè probabilem, ita Bardi. Confirmans deinde concluſionem ſuam ex praxi quotidiana, qua propter difficultates particulares excuſamur quandoque non ſolùm à præceptis humanis, ſed etiam divinis, v.g. ad reticendum in confeſſione peccatum, cujus evulgatione pœnitens probabiliter timeret, & ipſe circa hanc materiam dixerat n. 15. his verbis: admiſſa opinione excuſante reum à veritate judici dicenda delicto ſemiplenè probato, aio, ex illa præſcribi non poſſe regulam uniuerſalem, per quam dicemus, ſemper eſſe in poteſtate ſubditi non obedire, quando pro utraque parte datur probabilis opinio de honeſtate, & inhoneſtate rei præceptæ; per ſe enim loquendo probabilius cenſeo, ſubditum adſtringi ad obediendum, quamvis in aliquo caſu id fallat, videlicet cùm ſubditus timet grave damnum ſive in honore, ſive in fama, ſive in corpore, &c. ſive ſit contrà ipſummet, ſive contra alium, & dubium ſit, an Superior licitè præcipiat.

tunc non videtur conſentaneum, obligare ſubditum, ut cum tanto diſpendio obediat, probabilitas enim illa de inhoneſtate rei præceptæ, conjuncta cum illo timore gravis damni, excuſare poteſt ſubditum, ſi minimè obediat. Ex hac doctrina habemus, quòd, ubi eſt probabilis Autorum opinio de non obediendo, licitè ſubditus non obediat, quamvis talis probabilis opinio non ſit, juxtà hunc Autorem, univerſaliter de hac theſi: *licitum eſt non obedire, quoties probabiliùs illicitum eſt, quod Superior præcipit*. Nunc igitur adhuc probandum nobis incumbit, juxtà Probabiliſtas, etiam hanc theſin *univerſaliter* probabilem eſſe: quo oſtenſo, ex ipſorum principiis habebimus, ſubditum evidenter honeſtè non obedire, utpote ſe conformantem opinioni, de licentia, probabili. ad hoc verò cum primis ſervit Ferd. Caſtro Palao, qui to. 1. d. 2. p. 6. n. 5. poſt relatam oppoſitam ſententiam, ſic ait: Verum etſi hæc communis ſententia in praxi ſemper conſulenda ſit, audeo tamen affirmare, valde probabile eſſe, te obligatum non eſſe Superiori præcipienti obedire, quando opinionem habes probabilem, illicitam eſſe rem imperatam, vel excedentem ejus juriſdictionem. Moveor primò. licitum

citum ſubdito eſt non parere Superiori præcipienti, quando eſt opinio probabilis, non eſſe obligatum parère: ſed quando eſt opinio probabilis, non eſſe licitum, quod imperat, vel eſſe extra eius juriſdictionem, eſt opinio probabilis, non eſſe obligatum parère, ergo. Probo min. quia probabilitas opinionis deobligantis ſubditum ab obediendo, in nullo alio capite efficaciori fundari poteſt, quàm in eo, quòd probabile ſit, rem imperatam illicitam eſſe, vel extra Superioris juriſdictionem. Tum confirmat ſic: ideo quando eſt probabilis opinio non teneri ſubditum obedire, deobligatur ſubditus ab obedientia, quia profeſſio Superioris in illa materia vocatur in dubium: ſed ſimiliter vocatur in dubium poteſtas Superioris, cùm probabilis eſt opinio, illicitum præcipere, aut ejus juriſdictionem excedens; ergo. Secundò. nunquam Superior fuit in poſſeſſione imperandi illicitum, aut excedens ejus juriſdictionem, vt ex ipſis terminis conſtat: ſed eſt probabile, hoc eſſe illicitum, vel excedens ejus juriſdictionem; ergo eſt probabile non habere Superiorem jus præcipiendi; ergo eſt probabile, non teneri ſubditum obedire. Tertiò. non poteſt Superior ſtrictius obligare ſubditos ſuo præcepto, quàm

Chri-

Chriſtus Dominus, & Eccleſia obligat ſuis præceptis: ſed quoties aliquis judicat probabiliter ſub materia præcepta rem aliquam non contineri, illa non obligatur; ergo licet Superior jus habeat præcipiendi, quia tamen non habet jus certum præcipiendi, quod eſt probabiliter illicitum, ſed ſolum habet jus probabile, ideo ſubditus probabiliter deobligatur. Tum ſolvens fundamentum contrariæ opinionis, Ex his, inquit, patet ſolutio rationis adductæ pro communi ſententia. dicimus enim, Superiorem habere jus præcipiendi, quod eſt licitum certò, & indubitanter, quod verò ſub opinione tantùm licitum eſt, etiam ſub opinione jus habet, quapropter D. Auguſtinus *in cap. quid culpatur*, nunquam dixit, *teneri* ſubditum Regi præcipienti obedire, quoties certum ſibi non eſt, eſſe contra Dei præceptum, ſed *poſſe* obedire: tacitè intimans, contingere poſſe caſum, in quo, etſi *poſſit* obedire, non *teneatur*: Exemplum de ſpolio (pecuniæ probabiliter ſurreptæ) non obſtat, quia poſſeſſio rei, & proprietas illius diſtinguitur: Stat enim optimè, aliquem habere jus proprietatis in aliqua re, carere tamen illius poſſeſſione, & è contra: ac proinde poteſt aliquis probabiliter opinari, rem ad ſe

per-

pertinere, non tamen probabiliter opinari, habere illius poſſeſſionem, aut aliũ à poſſeſſione deturbare: quia ſunt omninò diſtincta. At in praſenti idem omninò eſt dubitare, ſeu probabiliter opinari rem imperatam eſſe illicitam, vel excedentem Superioris juriſdictionem, ac opinari non habere poteſtatem circa illam. Efficitur ergo ex his omnibus, eſſe ſatis probabile, ſubditum probabiliter opinantem mandatum Superioris eſſe illicitum, vel excedens ejus juriſdictionem, non eſſe obligatum exequi. Tum autoritates allegans, ſubjungit: hoc abſolutè defendit Joan. Sanchez in Select. diſp. 33. à num. 32. & Ledeſma tract. De los eſtados &c. conſentit ex parte Suar. tom. 5. in 3. part. diſp. 4. Sect. 6. n. 6. in fine, ubi dicit, teneri ſubditum obedire Prelato, quando æquè ſunt rationes probabiles pro utraque parte. at ſi manifeſtè probabilius eſt, non eſſe licitum mandatum, vel extra ejus juriſdictionem, valde probabile eſſe ſubditos excuſari. idem tenet Henriquez l. 12. de matrim. c. 6. n. 7. Corduba l. 3. q. 13. Sylv. *verbo Papa* q. 16. Th. Sanchez l. 2. de matrim. diſp. 41. n. 37. Sayrus l. 1. in Clavi Regia c. 13. Sic Palao tum ratione, tum autoritate oſtendens, probabile eſſe univerſaliter,

quod

quod reliqui Probabiliſtæ admittunt eſſe probabile particulariter, & in quibuſdam caſibus.

Ex quibus jam ſic meum argumentum in compendium redigo: Si eſt probabilis opinio de licentia, evidens eſt juxta adverſarios, licitè hominem operari ſecundùm talem opinionem: ſed ſi probabiliter, vel probabiliùs illicitum, à Superiore præcipitur, eſt probabilis opinio de licentia non obediendi; probabilis quidem ſecundùm Bardi in particularibus caſibus, & illos Probabiliſtas, quos adducit; probabilis verò univerſaliter ſecundùm Palao, & illos Probabiliſtas inſignes, quos ſimiliter adducit; ergo evidens eſt, hominem in caſu, quo probabiliter, vel probabiliùs aliquid illicitum præcipitur, non teneri ad obediendum: hoc autem eſt ſummum obedientiæ præjudicium, ut ipſi Adverſarii dicunt; cùm ſic poteſtas Superiorum exponeretur pluribus illuſionibus, juxta ipſos: ergo ex illorum principio ſummum obedientiæ infertur præjudicium. Ex noſtra verò ſententia minimè hoc inferri poteſt, ut qui probabiliora præſcribamus: non autem eſt probabiliùs, quòd Superiori probabiliùs illicita præcipienti non ſit obtemperandum; ergo Adverſarii per ſuum principium,

pium, non verò nos per noſtrum, obedientiæ præjudicamus.

Quamvis verò obedientiæ pro viribus aſſiſtamus, non tamen omnem exceptionem excludimus, ratum habentes id, quod optimè docet Laym. tr. 1. c. 5. §. 2. n. 12. ubi ſic ait: ſed quid? ſi dubitetur de poteſtate præcipiendi; utrum ejus limites non excedantur, utrum juſta cauſa ſubſit &c. & respondet, in tali dubio pro Superiore præſumptionem faciendam eſſe, excepto, ſi in hac parte grave incommodum in perſona, rebus, aut honore timeatur obedienti, alterivè perſonæ. tunc enim Subditus partem benigniorem amplecti poterit, ut obedire cum tanto diſcrimine non teneatur, quamdiu non conſtat, præceptum juſtum eſſe. ita Laym.

ARTICULUS XIII.

Oſtenditur directè, principium Adverſariorum non eſſe verum; hoc eſt, non omne ex hoc, quòd ſit probabile, etiam comparatiuè, eſſe ſtatim in praxi prudenter eligibile.

HACTENUS pugnavimus contra Adverſarios, quaſi indirectè, obiicien-

ciendo ipſis, & deducendo multa, & gravia abſurda ex illorum principio. nunc etiam directè oſtendendum eſt, hoc principium minimè eſſe verum. conabor id facere hoc ordine: ut primò dicam, non omne probabile eſſe prudenter in praxi eligibile; Secundò, hoc neque probabili comparativè ſumpto competere, quando comparatio fit ad æqualiter probabile; Tertiò, id multò minùs admitti poſſe, comparatione facta ad magìs probabile. de primis duobus agam hoc articulo; de tertio in ſequenti. ſemper autem loquor de probabili circa licentiam.

Dico 1. non omne probabile eſt in praxi prudenter eligibile. Probatur primò ex propoſitione prohibita, ſupra relata. Prob. 2. ratione. quia non eſt prudenter eligibile, tanquam honeſtum, & licitum, quod non eſt dignum prudenti aſſenſu de honeſtate aut licentia: ſed non omne probabile eſt dignum prudenti aſſenſu; datur enim quandoq; tam levis probabilitas, ut non prudens, ſed levis corde diceretur, qui illi crederet; ergo. neque eſt, quòd de hoc multùm laboremus, cùm habeamus fatentes Adverſarios. itaque

Dico 2. probabile ex magno fundamento, comparatum ad æqualiter probabile,

babile, non eſt in praxi prudenter eligibile, ſi ſit minùs tutum, aut ſtet contra legem. Prob. eadem ratione, qua prior concluſio. nemo enim prudenter eligit id, quod non poteſt prudenter judicare honeſtum, vel laudabile, & licitum in praxi: ſed ſtante ex oppoſito æquali probabilitate, negante honeſtatem, non poteſt prudenter judicari, quòd talis actio honeſtè, ac laudabiliter fiat; ergo. Maj. ſupponitur ex conſenſu potiorum Probabiliſtarum, requirentium judicium directum de honeſtate: & maximè ex ſtatu quæſtionis; quomodo enim ex conſcientia probabili, ſive opinativa operabimur, ſi non habeamus judicium probabile? quod quidem eſt de honeſtate, & directum; nam reflexum, aut de probabilitate, eſt evidens. minorem autem ſic probo: qui in concurſu æqualis probabilitatis, judicat actionem eſſe honeſtam, quam oppoſita probabilitas dicit inhoneſtam, duo facit; nam propoſitionem pugnantem pro honeſtate, affirmat veram, & pugnantem pro inhoneſtate affirmat falſam; quia comparativè judicat, unam præferendo alteri: ſed non poteſt prudenter affirmare falſam propoſitionem, quæ pugnat pro inhoneſtate; ergo pugnanté pro honeſtate non prudenter affirmat

firmat

firmat veram: quia aliquid dicere, ex quo imprudentia committitur circa alterum, non eſt prudenter dicere. Min. iterum probo. ratio, propter quam aliquid prudenter affirmatur verum, non eſt ratio, ut prudenter negetur eſſe verum: nam ineptè aliquis oſtenderet, ſe prudenter affirmare, Petrum ambulare, ſic dicendo: *prudenter affirmo Petrum ambulare, quia habeo magnam rationem negandi, ipſum ambulare*. ſed ratio, quam continet propoſitio pugnans pro inhoneſtate, eſt ratio, propter quam hæc propoſitio prudenter affirmetur vera: ergo non poteſt operans prudenter illam negare veram, ſive affirmare falſam, rurſum probo min. ratio, quam continet propoſitio pugnans pro inhoneſtate, eſt ejuſdem ponderis, cujus eſt ratio, quam continet propoſitio pugnans pro honeſtate: ergo ſi ratio pugnans pro honeſtate facit, ut prudenter affirmetur honeſtas, etiam ratio pugnans pro inhoneſtate, faciet, ut prudenter affirmetur inhoneſtas; ergo dicere, quòd propoſitio continens rationem, propter quam prudenter judicetur vera, ſit falſa, & non vera, eſt imprudenter dicere: nam eſt ipſam falſam dicere, quia æquè prudenter poteſt, & æquè meretur vera dici, quàm oppoſita, quæ dicitur vera, &

non

non falſa. Et eſt prorſus ſimile, ac ſi habente Petro eandem ſtaturæ altitudinem, quam habet Paulus, aliquis diceret, Paulum ſtaturâ eſſe magnum, ſed Petrum ſtaturâ eſſe parvum. cur hoc ineptum eſſet? quia eadem menſura, & quantitas, quæ acciperetur pro affirmanda magnitudine, non acciperetur pro affirmanda magnitudine: acciperetur in Paulo; non acciperetur in Petro: atqui hoc ipſum fit in noſtro caſu; nam eadem magnitudo rationis accipitur ad dicendum, propoſitionem eſſe veram, & non accipitur ad dicendum, propoſitionem eſſe veram: accipitur in propoſitione, quæ pugnat pro honeſtate; non accipitur in propoſitione, quæ pugnat pro inhoneſtate: ergo ſicut prius de ſtatura ineptum eſt, ita & hoc; ergo vel vtraque dicenda eſt vera; quod eſt impoſſibile, vel neutra, & ſic non poterit homo prudenter eligere tanquam honeſtum, quod non poteſt prudenter affirmare honeſtum, vel ſi una dicatur vera, altera falſa, reclamante illa, quæ falſitatis damnatur, hæc erit reddenda ratio: *falſam te dico, quia non minus vera appares, quàm altera, quam dico verâm*; quod ſanè eſt contra rationem: aut certè fatendum erit, id ita fieri, quia ſic placet, aut quia non cogit ad ſe dicendam

dam

dam veram, quod itidem imprudens eſt, quia ſine ratione alicui falſitatis notam inurere, & non ſuſpendere judicium, nec dubitare, vbi dubitandum eſt, perindè ad inſipientiam pertinet, quàm temerè, & ſine fundamento judicare.

Confirm. ſi nulla adſit ratio affirmandi aliquid, tunc imprudẽter affirmatur, quia ſine ratione: ergo etiam, ſi tanta adeſt ratio illud negandi, quanta adeſt affirmandi, imprudenter affirmatur potius, quàm negetur. Sicut bilanx non tantùm non deſcendit in alteram partem, ubi utrumque latus à pondere vacuum eſt, ſed neque deſcendit, ubi utrinque æquale pondus impoſitum eſt. quare licet ratio magni momenti poſſit prudenter inclinare intellectum ad aliquid affirmandum, ſi ſeorſim conſideretur, non tamen id poterit, ſi conſideretur cum ratione æqualiter inclinante in oppoſitum, & quando cum tali affirmatione unius tanquam veri, dicendum eſt alterum falſum; quia ad hoc dicendum nulla adeſt ratio. Sic enim & in bilance pondus uni tantùm lateri impoſitum, illud latus deprimet, non autem, ſi alteri lateri æquale pondus fuerit impoſitum; quia plus eſt deprimere contra alterum, quàm deprimere ſimpliciter.

Dixi, non poſſe *prudenter* affirmari al-

alterum; an enim ſimpliciter, & phyſicè poſſit, Philoſophis diſputandum relinquo.

Dices, hoc eſſe contra perfectionem obedientiæ, quæ in eo conſiſtit, ut ſubditus idem judicet faciendum, quod Superior faciendum dicit. nam ſi æqualis in oppoſitum ſtet ratio, oſtendens, non eſſe faciendum, non poterit, ſecundùm dicta, ſubditus prudenter judicare, eſſe faciendum potiùs, quam omittendum; ergo. R. n. ſequelam. ad probationem dico, ſubditum, ſpectando præcisè rationem ſecundùm ſe, non poſſe prudenter judicare pro alterutra parte, poſſe tamen, prout illa ratio à Superiore amplectenda proponitur, tanquam connexa cum re: ſicut ſi Deus diceret, ex duabus rationibus, æqualirer in oppoſitas partes trahentibns, rationem A. connecti reipſa cum objecto, & non rationem B. utique amplecteremur illam, tanquam verum dicentem, non propter ipſam, ſed propter ejus approbationem à Deo. Sic igitur cùm vox Superioris pro voce Dei habenda ſit, ſecundùm perfectionem obedientiæ, bene poterit perfectus obediens tali rationi, prout ſic confirmatæ, præſtare aſſenſum, & judicare, alteram rationem, cœteroqui de ſe æquè bonam, fallere. quòd ſi autem

tem Superior vellet, ut pręcisè èx ejus ratione, manifeſtè æquali, & non magis probante, judicarem, potius eſſe hoc, quam illud, quod altera ratio ſuadet, non poſſem prudenter. ſicut ex ejus ratione probabili, præcisè ex illa judicando, non poſſem judicare, rem quam ſuadet probabiliter, eſſe certam. Vrg. ex ratione certa ſequitur judicium certum. ergo etiam ex ratione probabili, ſequi poterit judicium prudens probabile, etiam in concurſu probabilitatis æqualis pro oppoſito, quia illa, hoc ipſo quòd faciat dari duas æquales probabilitates, non deſtruit probabilitatem prioris. R. n. conſ. quia illa probabilitas impedit prioris efficaciam quoad actum ſecundum; ſicut pondus impedit efficaciam alterius, ut hîc, & nunc deprimere non poſſit, quamvis aliàs poſſet & ſeorſim. quia, ut dixi, aliud eſt, ſimpliciter deprimere, & aliud, deprimere contra alterum. nam hoc in quodam exceſſu gravitatis conſiſtit, quem æquale ad æquale non habet.

Vnde poteſt colligi 1. has probabilitates, in tali concurſu, non eſſe probabilitates ſimpliciter, ſed solùm ſecundùm quid. nam probabile ſimpliciter eſt, quod conſideratis omnibus judicatur, aut poteſt judicari opinativè, ſapienti-

bus;

bus ; id eſt , prudenter judicantibus : ſed quando probabilitates unius partis conſiderantur cum probabilitatibus oppoſitæ partis , per quas in æquilibrium rediguntur , ſapientes non judicant pro una parte potiùs quàm pro altera , ſed dubitant de utraque ; ergo hæ probabilitates non ſunt probabilitates ſimpliciter , ſed tantùm ſecundùm quid ; in quantum , ſi ſine parte adverſante conſiderarentur , poſſent prudenter ad aſſenſum probabilem inclinare. Et hoc volunt Antiprobabiliſtæ , quando negant , tales rationes manere probabiles . non enim negant , quod retineant priorem apparentiam , aut quòd ipſi ſoli non apprehendant vim motivam , aut merita talium rationum , ſed ſolùm negant , hanc vim non impediri hîc & nunc , & in æquilibrio ſuſpendi ab aliis rationibus , in contrarium moventibus , & facientibus , ut prudens potiùs ſuſpendat aſſenſum , quàm unum præ altero affirmet , rationum paritate paritatem , & non talem judicii diſparitatem requirente . quare verum eſt , quòd probabile , fundet honeſtam operationem , ſi fundet *opinionem* honeſtatis , non autem ſi *dubium* ; aut ſi omnino ab altera parte notabiliter prævalente, ſuadeatur relinquendum , & reprobandum .

Digitized by Google

Nec ita propria eſt Antiprobabiliſtis hæc explicatio, ut non etiam Probabiliſtæ ad eam confugiant. Sic Leſſius q. 19. ar. 6. d. 7. n. 50. ponit, eſſe probabile, quòd in neceſſitate extrema infantis licitum ſit dare pecuniam pro baptiſmo, & eſſe probabile, vel æquè, vel magis, quod non ſit licitum, dare pecuniam: in quo caſu affirmat, teneri hominem ſequi partem benignam, & dare pecuniam. tum obiiciens, quomodo igitur altera pars ſit probabilis, ſi non poſſimus illam ſequi? reſpondet, illam tantùm eſſe ſpeculativè probabilem, ſcienti, quòd pars benigna ſit etiam probabilis, non verò tali eſſe practicè probabilem, ignoranti autem probabilitatem benignæ partis, eſſe partem duriorem etiam practicè probabilem. quid eſt, ſcienti partem benignam, eſſe ſolùm ſpeculativè probabilem partem duriorem, ignoranti verò, eſſe etiam probabilem practicè? quid eſt, niſi, eſſe probabilem ſecundùm quid, non verò ſimpliciter, ut ex illa probabilitate, conſideratâ etiam alterâ, prudenter procedi poſſit, quamvis hoc fieri poſſit, ſi altera non conſideretur, aut ignoretur. Sic & nos dicimus, per concurſum æqualis probabilitatis pro parte oppoſita fieri, ut quod ſe ſolo conſideratum fuiſſet

pra-

Digitized by Google

practicè probabile, ſive ſufficiens ad fundandum dictamen agendi, non maneat ſic probabile, ſed ſolùm ſecundùm quid, & ſpeculativè, ſine ſufficientia honeſtandi actionem. itaque Achillem ſuum Leſſio obiiciant, & dicant: omne comparativè probabile de licentia, honeſtè poſſumus ſequi, ſed ſecundùm te comparativè probabile eſt, quòd licitum ſit, non darè pecuniam pro baptiſmo; ergo honeſtè poteſt omitti pecuniæ largitio. Diſtinguet ſtatim Leſſius: omne probabile de licentia, quod eſt practicè probabile, & ſimpliciter, conc. quod eſt tantùm ſpeculativè probabile, & ſecundùm quid, nego. licet hoc Leſſio, ut neget, omne probabile de licentia, hoc ipſo, quòd de licentia probabile ſit, eſſe practicè probabile: & quando idipſum nos facimus, contra terminos eſt? tam benigni in alios cùm ſint; ut omnia ipſis licita velint, cur in nos tam rigidi exiſtunt, ut nihil eorum nobis concedere dignentur.

Colligi poteſt 2. in concurſu æqualis probabilitatis non eſſe licitum hodie amplecti hanc partem, & cras alteram, patet 1. ex dictis, quia ſi neutram, ergo neque utramque; fieret autem, ſi modò hanc, modò illam. Deinde eſt ſpecialis ratio, quia non licet ponere actio-

 nem,

ſiem, de qua certò conſtat, quòd ſit re ipſa inhoneſta & illicita: ſed ſi quis hodie amplectatur partem, quæ dicit v.g. licitum eſſe, pœnitentem relapſum abſolvere, cras verò amplectatur partem, quæ hoc negat, talis certò ſcit, ſe ponere aliquid reipſa inhoneſtum & illicitum: ſcit enim ex contradictoriis unum eſſe, & alterum non eſſe; ergo ſi hodie abſolvit, & cras non abſolvit, ſcit, ſe ponere aliquid reipſa illicitum; ſi non per abſolutionem, per negationem abſolutionis, aut ſi non per hanc, certè per illam. non autem licet facere duo, quando certitudo habetur, quod in alterutro erretur; quia hoc eſſet eligere malum indeterminatè, & diſiunctivè, ergo.

ARTICULUS XIV.

Oſtenditur, non eſſe licitum amplecti minùs probabile, & minùs tutum, contra notabiliter probabilius, & tutius.

SVppoſitis illis, quæ in priori articulo dicta ſunt, facilis eſt hujus articuli probatio. Si enim ad honeſtè operandum requiritur, ut aliquis judicet prudenter, talem operationem honeſtè à ſe fieri: & ſi, ſtante æquali probabilitate

tate

Digitized by Google

tate pro honeſtate, & inhoneſtate, non poſſit prudenter judicare pro honeſtate contra inhoneſtatem, multò utique minùs poterit ſic judicare, quando pro inhoneſtate ſtant motiva notabiliter potentiora, quàm pro honeſtate. non enim hoc, quod eſt, *prudenter judicare, conſideratis diligenter omnibus*, ab arbitrio, vel imperio voluntatis dependet, ſed à digno amplexu motivorum. unde ſi voluntas centies imperet intellectui, ut prudenter judicet, ſtellas eſſe pares potiùs, quàm impares, non exiſtentibus pro tali judicio ullis rationibus, non ille ſic judicans, prudenter judicaret; quia ſine ratione: ergo etiam, ſi voluntas imperet, ut prudenter judicet, rationes notabiliter & manifeſtè infirmiores, verum dicere, rationes autem notabiliter fortiores, dicere falſum, non ſic judicans intellectus, & condignam æſtimationem motivorum deſerens, atque mendacii arguens teſtes, veriſimiliora dicentes, prudenter judicabit. cùm ergo ad honeſtè operandum, requiratur prudens judicium de honeſtate actionis; & hoc judicium haberi nō poſſit, quando rationes pro inhoneſtate notabiliter ſunt majores: eo quòd nè quidem haberi poſſet, ſi rationes forent æquales, ſatis perſpicuum eſt, non poſſe hominem licitè &

 hone-

honeſtè amplecti, in operando, minùs probabile, & minùs tutum, contra notabiliter probabilius, & tutius.

Neque movere debet, aut rationabiliter poteſt, quòd viri Docti dicant, licitum eſſe, & honeſtum, & prudens, *minùs probabile judicare verum, & notabiliter probabilius judicare falſum*: cum enim clarè videas, tale judicium eſſe contra merita rationum fortiorum, vides hoc ipſo clarè, tales viros Doctos tibi dicere, *prudens eſſe, contra rationem judicare*, ſive *prudens eſſe, ſi rationes pro addicenda ſibi veritate manifeſtè præponderantes, non præponderent apud te pro addicenda ipſi veritate*, aut, *ſi dicas falſum, quod clarè vides dicendum verum*. Quæ quidem directio longè meliori jure ſine pondere fuerit apud prudentem, quàm rationes manifeſtè prçponderantes.

Neque etiam reſiliendum eſt ad conſuetum illud, *ſufficere, quod judicetur probabile*. Primò enim, cùm probabilitas ſit evidens, clarum eſt, quòd habito hoc ſolo judicio, non fieret operatio ex conſcientia opinativa: de qua tamen eſt præſens quæſtio: ergo ut ex hac agatur, debet adeſſe aliud judicium, præter judicium probabilitatis, nempe judicium opinativum prudens de ipſa honeſtate: hoc autem judicium prudenter haberi non

non poteſt, ſi rationes notabiliter potentiores ſtent in contrarium: quomodo enim intellectus prudenter dicet falſum, quod conſideratis diligenter omnibus, reperit notabiliter ſimilius vero, quàm falſo? & ſi acceptatio rationum notabiliter minorum prudentiæ laudem conferat intellectui, quomodo non multò magis repudiatio rationum notabiliter majorum eidem imprudentię notam inuret? Si enim laudabile eſt, ſequi rationem etiam parvam: nunquid vituperabile erit, ne quidem ſequi rationem magnam? cùm ergo intellectus ex conſenſu cum rationibus prudentiam judicii ſui probet, ſtans contra rationes, imprudentiam ſuam demonſtrabit: ſtat autem contra illas, ſi debiliores præfert fortioribus, & falſas dicit, quas evidenter videt, veritatis titulo ex multis meritis longè digniores eſſe. non igitur rationes minores, in concurſu notabiliter majorum, poterunt intellectui judicanti placere, quamvis id poſſint, ſi ſolitariè conſiderentur. tunc enim plus nō requiritur, quàm ut ſe laudabiles reddant; in concurſu autem, in ordine ad aſſenſum, deberent inſuper oppoſitas reddere vituperabiles; quod non poſſunt. Sicut pondus levius, in concurſu gravioris, non poteſt deprimere ſuum latus,

quia ad hoc neceſſe eſſet, attollere latus, cui impoſitum eſt pondus gravius; quod non poteſt; quia ſic præponderaret præponderanti, & eſſet graviore gravius. Unde, licèt finis intellectus ſit verum, non tantùm exiſtens, ſed etiam apparens, & hoc appareat non tantùm per rationes majores, ſed etiam per minores, eſt tamen contra finem intellectus, ut quod magis apparet verum, dicat falſum: Sicut, quia etiam voluntatis objectum & finis eſt bonum apparens, contra finem & naturam voluntatis eſſet, de majori apparente bono triſtari, vel dicere, aut petere ut diceretur malum, & non bonum. & quia ad eligendum bonum minus, non eſt neceſſe triſtari de majore, aut illud dicere malum; inde eſt, quòd voluntas poſſit eligere minus bonum, relicto majore. quia autem intellectus opinando debet verum & falſum dicere; hanc autem falſitatis injuriam prudenter inferre non poteſt rationibus notabiliter melioribus; cùm ſic intellectus finem ſuum meliùs & præponderantiùs apparentem reſpueret, inde eſt, quòd in concurſu partis probabilioris non poſſit opinari, ſive approbare prudenter, partem minùs probabilem, & per conſequens neque ſecundùm illam operari ex conſcientia

opi-

opinativa. quomodo enim ſine opinione operaberis ex conſcientia opinativa?

Confirmo hanc doctrinam auctoritate S. Thomæ Quodlibeto 8. a. 13. ubi quærit, an ille, qui habet plures præbendas, peccet *ex hoc ipſo, quòd opiniones Magiſtrorum ſunt in contrarium*. & rationem, ex qua hoc videri poſſet, addens: quicunque enim, ait, ſe diſcrimini committit id his, quæ ſunt ad ſalutem, peccat: ſed iſte ſe committit diſcrimini, ut videtur, cùm faciat contra multorum peritorum ſententiam; ergo videtur, quòd peccet. (nempe ex hoc ipſo, quòd faciat contra opinionem multorum peritorum. nam ſub his terminis quæſtionem inſtituit) Deinde in oppoſitum ſic argumentatur: poteſt eſſe, quòd in tali caſu (ubi multi periti contrarium ſentiunt) aliquis adhibet diligentiam, inquirens, an habere plures præbendas ſit licitum, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc, quòd ſit illicitum; ergo videtur, quod ſine peccato poſſit plures præbendas habere. (per quam oppoſitionem oſtendit viam, quomodo non obſtante judicio contrario multorum peritorum, fieri poſſit, ut aliquis licitè habeat plures præbendas; Si nimirum adhibita debita, & convenienti diligentia, & rationi-

Digitized by Google

tionibus bene ponderatis, nihil inveniat, quod ipſum moveat ad opinandum, quòd ſit illicitum: hoc autem contingit, ſi rationes adſtruentes licentiam, ſint notabiliter majores, quàm rationes, licentiam negantes: ſi enim, adhibitâ diligentiâ, inveniſſet majores rationes pro illicito, utique inveniſſet aliquid, quod ipſum movere poſſit ad opinandum, quòd ſit illicitum; cùm extra controverſiam rationes notabiliter majores, prudenter movere poſſint contra minores: excuſabitur ergo talis juxta S. Thomam, ſi tales rationes non invenerit; minimè verò excuſabitur, ſi illas invenerit; quia tunc culpabiliter nolet judicare ſecundùm inventa, quæ meritò deberent ipſum movere, & ſecundùm quæ deberet judicare; ergo judicans, in concurſu probabiliorum, ſecundùm minùs probabilia, non excuſatur.) Poſtea quæſtionem ſolvens, dicit, duobus modis fieri, ut aliquis peccet. uno modo faciendo contra legem, ut cùm quis fornicatur. (intellige ſufficienter ſciens, quòd ſit illicitum; nam ignorantia invincibilis ſecundùm omnes excuſat; ut etiam S. D. habet pluribus locis.) alio modo, faciendo contra conſcientiam, etſi non ſit contra legem, ut ſi conſcientia dictat alicui, quòd le-

vare

vare feſtucam de terra ſit peccatum mortale. Ex conſcientia autem obligatur aliquis ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. (notent hoc Adverſarii, qui dicunt, poſſe operantem habere judicium opinativum de inhoneſtate actionis, & tamen licitè ac honeſtè agere, modò incertum illi ſit, an non fortaſſe hoc judicium fallat, & modò de honeſtate habeat judicium probabilitatis. ſic invenies apud P. Illſung a. 6. §. 5. n. 51. ubi judicium Probabiliſticum ſic efformat: *quia utrumque, quòd operatio ſcilicet in ſe ſit licita, & quòd ſit illicita, eſt certò probabile, probabilitate vera ac comparativa, & quia mea opinio, ſive aſſenſus, quòd operatio ſecundùm ſe ſit illicita, non reddit magis illicitam in ſe, quàm ſi judicaſſem licitam, & quia manet integra ejus probabilitas, manente autem ejus probabilitate, ſive prudente eligibilitate a me certò & evidenter cognita, licitè illam eligo*. en quàm directè in hac forma judicii contradicatur doctrinæ S. Th. ille enim dicit, peccari, ſi agatur, quod judicatur, etiam ſolùm opinativè, illicitum. hi dicunt, non peccari cum tali judicio, & actionem evidenter honeſtari, etiam ſtante tali judicio, ex ſola cognitione

probabilitatis de honeſtate, & ex incertitudine, ac fallibilitate judicij opinativi, quod habetur de inhoneſtate.) Pergit dein S. D. removens exceptiones, & ait; illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecundùm conſcientiam: (intellige vincibilem.) & ſimiliter, quod eſt contra conſcientiam, eſt malum, quamvis non ſit contra legem: quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum. dicendum eſt ergo, inquit, quòd quando duæ ſunt opiniones contrariæ de eodem, oportet eſſe alteram veram, & alteram falſam. aut ergo ille, qui facit contra opinionem Magiſtrorum, habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & ſic cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamvis non faciat contra conſcientiam (quam ſibi ſcilicet contra opinionem Magiſtrorum minùs probabiliter format, cum rationabili formidine de ejus falſitate, committens hoc modo ſe diſcrimini, ut in prima oppoſitione tactum eſt) Aut illa opinio non eſt vera, ſed magis contraria, quam iſte ſequitur, ita quòd verè licet habere plures præbendas: & tunc diſtinguendum eſt; quia aut talis habet

con-

conſcientiam de contrario (hoc eſt, quòd non liceat habere plures præbendas) & ſic iterum peccat contra conſcientiam faciens (nobis hoc negant Adverſarii, quia dicunt, hanc tantùm eſſe conſcientiam ſpeculativam; ſed negent nobis, modò concedant Angelico Doctori) aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem (lege, *ſeu certitudinem*, aut, *nec certitudinem de ſuo*) ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum; & ſic ſi manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo ſe committit, & ſic procul dubio peccat, utpote magìs amans beneficium temporale, quàm propriam ſalutem. (cùm in prioribus rejeciſſet eos, qui judicium habent de contrario ejus quod agunt, quòd nempe ſit illicitum agere: ſed tamen per probabilitatem ſe ſolent fingere excuſabiles: nunc reiicit illos, qui quidem judicant eſſe licitum, quod agunt, ſed judicio minimè certo, hoc eſt, non firmo, nec ſatis aſſecurante, ſed rationabiliter fluctuante, & magnam de ſui veritate incertitudinem, & formidinem relinquente; quale judicium eſt utique tunc, quando judicatur aliquid contra rationes notabiliter in contrarium inclinantes & præponderantes: propter quam proinde incertitudinem,

& formidinem valde rationabilem, dicit S. D. tales ſe periculo errandi, ſatis præviſo committere, & per conſequens peccare; quia malunt de ſalute ſua periclitari, quàm commodo temporali carere) Denique concludens ait: Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & ſic non committit ſe diſcrimini, nec peccat. hæc concluſio eſt pro nobis. quia qui habet rationes notabiliter potentiores, nullo modo fluctuat in ſuo judicio, nec ſe committit ulli diſcrimini, rationabiliter formidando; quid enim formidet, qui videt, ſe habere judicium, parum à certitudine diſtans, aut certitudini in æſtimatione morali pene æquivalens; in quantum certioratus cenſetur, & ſaltèm adhæſivè eſſe poteſt, qui ab incertitudine oppoſita plurimùm recedit: ſicut pallidum, ob magnum à nigro receſſum, dicitur album. nec hunc loquendi modum Adverſarii ſubſannent, tanquam ſupra meritum judicii probabilioris. ſi enim hoc ipſi tribuant judicio minùs probabili, quantò magis nos judicio probabiliori. quòd autem id faciant, apud Th. Sanchez c. 9. n. 14. invenient, ubi ſic ait: *cùm omnimoda de rebus certitudo haberi nequeat, ad eam Deus minimè nos obligavit, ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperi-*

peritur; loquitur autem de minùs probabili. Idem, & aliquid amplius invenient apud Petrum Cornejo tr. 8. diſp. 3. dub. 2. Pro reſolutione, inquit, ſuppono, quòd aſſenſus opinativus, quamvis, cùm ſit determinatus ad alteram partem, excludat dubitationem, & hæſitationem, ſeu ſuſpenſionem judicii; tamen aliquando poteſt eſſe cum formidine, & aliquando ſine ea; nam licèt formido veniat radicaliter ex eo, quòd judicium opinativum eſt fallibile; qua ratione formido radicaliter ſumpta pertinet ad eſſentiam opinionis; proximè tamen provenit ex eo, quòd intellectus actu quodam reflexo judicet, rationes illius partis, cui opinativè aſſentitur, non eſſe evidentes, ſed ſolùm probabiles, & ita dicit, fortaſſis non eſſe verum, quod judicavi, ex quo judicio reflexo ſequitur formido: cùm autem hoc judicium reflexum ſit liberum, fieri poteſt, ut vel maximo affectu voluntatis ad eam partem, de qua habetur opinio, vel quia res eſt communiſſima, vel ex alia cauſa non fiat, & ſic detur aſſenſus opinativus ſine actuali formidine, *imò cum maxima certitudine morali reſpectu ipſius opinantis*: [nempe ſubjectiva, ſeu adhæſiva] qua ratione dixit Ariſt. 7. Eth. c. 3. ſæpe evenire, ut homines tenaciùs, & firmiùs adhæreant falſis rumoribus,

 & opi-

& opinionibus, quàm viri ſapientes ſçientiis, & certiſſimis veritatibus. ita Cornejo. ex quibus patet, illum firmum aſſenſum, qui eſt ex rationibus notabiliter præponderantibus, ob rationes oppoſitas notabiliter minores nihil pati, quò minùs quaſi pro certo & ſecuro habeatur: & neque etiam ab hac appretiatione deiici ob defectum omnimodæ, & ſtrictè dictæ certitudinis; eò quòd hæc in rebus moralibus haberi non poſſit, ſaltèm ut frequentius: unde ejus vices non immeritò deferuntur illi, quod proximiùs accedit, & illum gradum attingit, ultra quem rara eſt progreſſio, ſive qui ordinariè eſt ſupremus.

Itaque S. Thomæ doctrinam breviter recapitulando, dico, illam eſſe per omnia contrariam Adverſariis, & totam pro nobis. vel enim eorum de numero ſunt, qui dicunt, licitum eſſe operari, etiamſi habeatur judicium, quòd re ipſa ſit illicitum, quod agitur? & ſic eſt contra ipſos; quia dicit, *operantem obligari ad peccatum, ſive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit, ſive habeat opinionem cum aliqua dubitatione*. vel ſunt de illorum numero, qui dicunt, habendum eſſe judicium, quòd re ipſa ſit licitum, quod agitur; ſed tamen poſſe hoc judicium haberi ex rationibus notabiliter minoribus? & ſic iterum eſt

con-

contra ipſos; quia ſic habebunt *opinionem cum dubitatione*, hoc eſt, cum rationabili formidine oppoſiti: qui enim clarè videt, pro oppoſito ſtare rationes longè præponderantes, rationabiliter utique formidare poteſt, & prudenter debet, ne oppoſitum ſit verum: *qui verò in talem dubitationem* [hoc eſt, opinationem fluctuantem, & rationabili erroris formidine angentem] *inductus ex contrarietate opinionum, ea ſtante operatur, periculo ſe committit* [nempe ſufficienter prævifo] *& ſic procul dubio peccat, utpotè magìs amans rem temporalem quàm animæ ſuæ ſalutem, quam periculo exponit.* Si verò negent exponi, eò quòd per artificium reflexum ſupra probabilitatem, formaliter auferatur peccandi periculum? vident utique, contra quem negent: cùm S. Th. de hoc artificio nulla facta mentione, dicat, per illud judicium directum, ita dubium, hoc eſt, fluctuans, exponi operantem periculo, ita ut procul dubio peccet; ergo & in hoc effugio, adeòque in omnibus, cùm aliud evadendi medium, præter iſta, Adverſarii hactenus non habuerint, nec attentarint, S. Doctor eſt contra ipſos. totus autem eſt pro nobis; quia nos requirimus judicium directum de licentia operationis, & quidem tale, quod vix aliquam umbram, & levem ſuſpicionem

 erro-

erroris aut periculi iniiciat, & minimè in oppoſitam partem ſinat moveri, aut inclinari: qui enim, adhibita morali diligentia, reperit rationes notabiliter præponderantes, qnomodo in oppoſitum moveatur, hoc tali invento, notabiliter magìs inde abſtrahente: aut quomodo periculo, ſatis prævïſo, ac propterea culpabiliter ſe exponet, qui fecit, quod & quatenus tantam habet veritatis apparentiam, ut intra terminos probabilitatis, & moraliter debitæ indagationis, vix alia ſit poſſibilis major: aut quomodo aliquid de diligentia prætermiſerit, qui omnibus accuratè, & ſine paſſione, in favorem hominis inferioris inclinante, conſideratis, ſtatuat notabiliter prævalens, & tantùm non convincens? qui autem *adhibitâ diligentia nihil invenit, quod ipſum moveat ad judicandum, quòd ſit illicitum; nec etiam ex contrariis opinionibus in ullam dubitationem* [ſive fluctuationem, à cordato, & prudenter attendendam] *adducitur, non committit ſe diſcrimini, nec peccat*, ſecundùm S. Thomam; ergo eſt totus pro nobis, ita ut dicat, probabiliora ſectantes nec peccare, quando re ipſa actio eſt contra legem; quia tunc excuſantur per diligentiam, qua nihil invenerunt, quod ipſis contrarium prudenter ſuaderet; neque etiam peccare,

ſi

ſi quod faciunt, re ipſa eſt licitum; quia ob firmitatem, & ſecuritatem judicii, ex rationibus notabiliter præponderantibus concepti, nihil, quod moraliter curandum eſſet, vident periculi: unde non agunt ut malè ſibi conſcii, aut rationabiliter ſuſpecti, ſed ut bene conſcii; qui autem rem bonam bene ſibi conſcius agit, quomodo peccabit; cùm juxta S. D. *quod nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poſſit eſſe peccatum*? Adverſarii autem, inventis rationibus notabiliter præponderantibus, invenerunt, quòd rationabiliter eos moveret ad judicandum, quòd ſit illicitum, quod agunt; ergo *ex hoc ipſo, quòd contra tales rationes Magiſtrorum in contrarium*, agunt, peccant.

ARTICULUS XV.

Utrum dictamen, formatum ſecundùm rationes magìs probabiles, ſufficiat ad honeſtè operandum, vel inſuper aliud requiratur.

QUIA dictamen, ex rationibus probabilibus formatum, abſolutè loquendo, eſt fallibile: & tamen videtur, quòd homo de honeſtate ſuæ operationis debeat eſſe certus, ideò ſolent non pauci aliud dictamen, quaſi refle-

flexum ; certificans requirere . circa quam rem, cùm præter nominis quæſtionem vix aliquid habere poſſit, breviter mentem meam explico. Et in primis dico, quòd circa ipſam realem honeſtatem non debeat eſſe certificatus, certitudine ſtrictè dicta. Hoc enim ſuperat meritum, & dignitatem rationum probabilium, qua talium. Deinde dico, quod circa honeſtatem formalem, hoc eſt, circa irreprehenſibilitatem, & inimputabilitatem debeat eſſe certificatus; Si enim formidaret, an eſſet ob talem actionem punibilis, hoc ipſo formidaret, an non formaliter malè ageret, quod jam eſſet agere cum quodam peccati neglectu, ſive non ſatis ſeria exclusione, aut declinatione. Tertiò dico, quòd hæc certitudo facilè haberi poſſit à quovis operante. inſitum eſt enim omnibus à natura hoc principium: *quòd irreprehenſibilis ſit, qui facit, quod, adhibitâ diligentiâ requiſitâ, invenit omnino prudenter à ſe fieri*: Sed qui rebus omnibus, quantùm moraliter potuit, conſideratis, facit, quod rationes notabiliter præponderantes, faciendum ſuadent, facit id, quod invenit omnino prudenter à ſe fieri; ergo talis certus eſt de honeſtate formali ſuæ actionis, ſivè, quod ob talem actionem, etiamſi fortè reipſa prohibita ſit, non ſit reprehenſibilis.

Quar,

Quartò dico, hanc certitudinem, ex hoc principio ita deductam, commodè refundi poſſe in *Syntereſin*. ipſa enim eſt habitus cognitivus primorum principiorum practicorum, ſicut intellectus eſt cognitivus primorum principiorum ſpeculativorum: ad principia autem practica etiam pertinet hoc, quod eſt, facientem ſuum poſſibile, eſſe irreprehenſibilem: ergo ad hanc certitudinem deducendam, non videtur neceſſe eſſe, aliud quoddam judicium reflexum admittere: cùm hoc primum principium ſit, ſaltèm implicitè, quodam modo directe, & immediatè imbibitum, & adhibitum ab operantibus. Sed ut dixi, non eſt de hoc, ultra nominis uſum, difficultas: vocet reflexum, qui vult, vocet directum immediatè & intrinſecè adjunctum, qui ita vult.

ARTICULUS XVI.

Solvuntur objectiones.

STABILITA noſtrâ doctrinâ, & oppoſitâ gravibus difficultatibus oneratâ, reſtat, ut ea, quæ nobis gravandis opponunt, ſolvendo exoneremus, itaque

Obiic. 1. qui habet judicium probabile de honeſtate rei, honeſtè & prudenter rem illam eligit in praxi; quia non poſſunt requiri judicia certa, vel evi-

evidentia: ſed qui ſequitur opinionem probabilem, quantumvis minùs probabilem alterâ, habet hoc judicium; ergo. R. conc. ma. n. min. qui enim videt, opinionem oppoſitam niti motivis notabiliter minoribus, non judicat ſecundùm illam de honeſtate rei, ſed potiùs habet judicium de inhoneſtate, & judicat, aliorum opinionem falſam; & ſic non ſequitur ſuo judicio opinionem probabilem aliorum, ſed reprobat: Si autem reprobat in judicio, reprobare etiam, & relinquere debet in praxi; cùm nemo honeſtè faciat, quod judicat, inhonſtè ſolùm fieri; ergo. Poſſet etiam minor ſic diſtingui: qui ſequitur opinionem, probabilem ſubjectivè, hoc eſt, aſſenſum opinativum à ſe elicitum, habet judicium de honeſtate, conc. qui ſequitur opinionem, probabilem objectivè, hoc eſt, aſſenſum opinativum ab aliis elicitum, & à ſe cognitum, & judicatum erroneum; habet judicium de honeſtate n. min. Urg. 1. quod cognoſcitur, ab aliis judicari aſſenſu opinativo honeſtum, poteſt etiam prudenter à nobis judicari honeſtum tali aſſenſu; quia aliis prudentibus prudenter conformamus noſtrum judicium, ergo. R. n. ant. probationem diſtinguo: prudentibus prudenter conformamus noſtrum judicium, niſi rationes notabiliter præponderan-

deran-

derantes ſatis manifeſtè oſtendant, tales prudentes hic & nunc falli, conc. Si hoc rationes oſtendant, nego. Urg. 2. prudentes illi æquè viderunt, & vident rationes illas notabiliter preponderantes, & tamen dicunt, prudenter judicari, & in praxi agi contra illas; ergo non obſtante præponderantia poſſumus prudenter cum illis judicare, & hanc præponderantiam practicè contemnere, ſicut ipſi faciunt, & faciendum ſuadent. R. n. conſ. quia non eſt judicandum cum illis, quorum multæ aſſertiones, ex tali præponderantiæ neglectu ortæ, à Summis Pontificibus proſcriptæ ſunt: & quorum rationes, quòd contra talem præponderantiam liceat judicare, & agere, firmæ non ſunt, & qui ipſi inter ſe diviſiſſimi ſunt, uno modum ſalvandi Probabiliſmi adſtruente, alio eundem tanquam chimericum, aut rationi repugnantem deſtruente, & reprobante; indicio haud obſcuro, quòd tandem hoc regnum, tam variè in ſe diviſum, omnino deſolabitur. Urg. 3. qui ſequitur, in praxi, opinionem, quam judicat probabilem, non eſt imprudens, neque temerarius, neque malus: ſed qui habet motiva pro una parte notabiliter præponderantia, judicat nihilominus, opinionem oppoſitam, eſſe probabilem, quamvis minùs: aliàs ſtatus quæſtionis

de-

Digitized by Google

deſtrueretur ; ergo talem opinionem ſequens in praxi , non peccat . Major de imprudentia & temeritate patet ; quia ille tantùm dicitur imprudens , & temerarius , qui aliquid agit ſine ratione , & cauſa probabili . de malitia ex horum remotione conſequitur ; quia qui dirigitur in ſuis actionibus à prudentia , non malus , ſed bonus eſt . Reſp. diſt. maj. Si illam judicat probabilem ſimpliciter , & probabilitate firma ac ſana , quæ poſſit hic & nunc prudenter tale ſubjectum movere ad aſſenſum ſui objecti , conc. Si illam judicat probabilem ſecundùm quid , & probabilitate admodum vulnerata , & tam infirma , ut ob præponderantes notabiliter rationes prudenter à tali ſubjecto non poſſit præſtari aſſenſus ejus objecto n. ma. Vrg.4. in ſpeculativis licitè & laudabiliter quandoque ſequimur minùs probabile ; ergo & in practicis. R. tranſ. ant. n. conſ. quia laudabile eſt , excitare ingenia ad indagandam veritatem ; quod fit contradicendo , & ea ponendo , exercitii ſcholaſtici causâ , quæ incertiora reputantur ; ut ad illa manifeſtius confutanda adverſarii provocentur ; vel illa ipſa , quæ hactenus incertiora videbantur , ingenioſa & conſtanti defenſione firmiora reddantur . Sed exponere ſe periculo realis tranſgreſſionis , valde ra-
tiona-

tionabiliter præviſo, non eſt laudabile: quia qui amat periculum (materialiter peccandi) peribit in illo (formaliter peccando.)

Urg. 5. opinio probabilis ex eo dicitur probabilis in praxi, quia poſſumus eam ſequi ſine reprehenſione, & vituperatione: ſed opinio minùs probabilis de licentia actionis, dicitur probabilis in praxi, quia dicitur minùs probabilis; ergo implicat contradictionem, quòd ſit probabilis, & quòd non poſſimus eam licitè ſequi. Ad hoc argumentum nolunt Adverſarii negari, aut diſtingui majorem, eò quòd hæc ſit ſignificatio terminorum. nolunt etiam negari, aut diſtingui minorem, eò quòd hic ſit ſtatus quæſtionis. nolunt etiam negari, aut quacunque ratione in dubium revocari conſequentiam. volunt igitur nobiſcum diſputare hac lege, ut nihil ipſis negemus. Sed, bonâ veniâ, aut majorem nego, aut ſi hoc nolint, minorem nego, quòd ſcilicet opinio minùs probabilis de licentia actionis, rectè dicatur probabilis in praxi: quia in conſideratione notabiliter probabilioris non poteſt prudenter judicari vera, & conjuncta cum honeſtate, quam affirmat: ſed nemo ſine reprehenſione, & vituperatione, facit tanquam honeſtum, quod

non

Digitized by Google

non poteſt prudenter hic & nunc judicare honeſtum; ergo talis opinio de licentia actionis, non erit, in concurſu notabiliter probabilioris, probabilis in praxi, ſed tantùm probabilis probabilitate aliqua ſpeculativa, & practicâ ſolùm remotè, & ad alios caſus, vel ſubjecta, in quibus, vel à quibus notabiliter probabilior opinio non cognoſcitur. Poteſt etiam diſtingui major. opinio ſimpliciter probabilis, ex eo dicitur probabilis in praxi, quia poſſumus eam ſequi ſine reprehenſione, & vituperatione, conc. opinio ſecundùm quid probabilis, dicitur probabilis in praxi, quia poſſumus eam ſequi ſine reprehenſione, nego maj. quia hæc opinio, in talibus circumſtantiis, ſolùm dicitur probabilis in praxi, quia de praxi, ſive de licentia, non obſtantibus rationibus notabiliter majoribus, habet rationes non omnino parvas, ſive aliquo modo magnas: non autem ſtatim ſine reprehenſione, & nota imprudentiæ facit, qui rationes, aliquo modo magnas, judicat verum dicere, rationes verò notabiliter majores, falſitatis arguit; & qui periculo re ipſa errandi, ſatis præviſo, ſe committit; ergo ſi talis opinio in praxi probabilis dicatur, non ideo ſic dicitur, quia ſine reprehenſione, in qui-

buſ-

buſcunque circumſtantiis, poſſumus eam ſequi, ſed quodam alio ſenſu. Urg. 6. opinio probabilis eſt conformis rectæ rationi, conformitate ſaltèm apprehenſa: ſed rectam rationem licet ſequi, ergo & opinionem probabilem. Reſp. diſt. major. eſt conformis, conformitate ſaltèm apprehenſa, id eſt, aliquo modo apparente, & per rationes minores propoſita, conc. apprehenſa, id eſt, prudenter opinabili, in conſideratione rationum notabiliter præponderantium, nego maj.

Obiic. 2. Leo Papa, ut refertur cap. *Sicut quidam*, diſt. 14. ſolum exigit ad ſecuritatem conſcientiæ, ut in his, quæ dubia fuerint, id faciamus, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Sanctorum Patrum decretis invenitur adverſum: ſed quod eſt probabile, eſt hujuſmodi; ergo licitum eſt ſequi illud. Reſp. diſt. min. eſt hujuſmodi, ſi ſit probabile ſimpliciter, hoc eſt, hîc & nunc, conſideratis rationibus in oppoſitum longè præponderantibus, prudenter opinabile, conc. Si non ſit prudenter opinabile, ut contingit circa minus probabile, quando pro veritatis judicio contendit cum rationibus multò majoribus, n. min. Urg. Etiamſi S. Tho. fuerit doctior, quàm Theologi noſtri temporis, non tamen ſequitur, quòd ille ſolus

lus prudenter dicatur fuiſſe doctus, & quòd reliqui negandi ſint eſſe docti: ſicut neque ex eo, quòd homo 70. annorum ſit ſenior homine ſexagenario, ſequitur, hominem 60. annorum non eſſe ſenem, ſed juvenem: neque vinum Tyrolenſe rectè negaveris bonum, quia Creticum eſt melius, &c. ergo etiamſi id, qùod rationes notabiliter probabiliores ſuadent, ſit prudentiùs opinabile, non ſequitur, minùs probabile non eſſe adhuc prudenter opinabile. Reſp. conc. ant. n. conſ. Ratio eſt, quia non repugnat duos homines ſimul eſſe doctos, aut ſenes, aut probos, &c. unde ſicut doctrina unius non excludit doctrinam alterius, ſic neque negabitur doctrina de uno per hoc, quòd ſive major, ſive minor affirmetur doctrina de altero. Sed in noſtro caſu repugnat, oppoſita eſſe ſimul vera; unde non poteſt unum affirmari verum, quin alterum hoc ipſo dicatur falſum: cum igitur *opinari aliquid, ſit affirmare, illud eſſe verum*: Si opiner, quod rationes minores ſuadent, hoc ipſo dicam, falſum eſſe id, quod ſuadent notabiliter majores: ſed hoc non eſt prudenter, & ſecundùm rationem, ſed potiùs, ut Laym. ſupra dixit, contra rationem judicare: ergo opinio minùs probabilis, non eſt, in concurſu probabi-

babilioris, prudenter opinabilis à tali ſubjecto, & conſequenter neque prudenter eligibilis in praxi.

Obiic. 3. quandocunque non ſatis conſtat, aliquam actionem eſſe prohibitam, libertas manet in poſſeſſione: ſed quando eſt probabile, quamvis probabilitate minore, actionem eſſe licitam, non ſatis conſtat, illam eſſe prohibitam, ergo. Reſp. n. min. vel diſtinguo: quando eſt probabile, & ſimul prudenter opinabile, actionem eſſe licitam, conc. Si hoc prudenter non ſit opinabile, n. min. eſt enim inditum naturæ rationali, quòd non liceat operari, ſi non poſſumus judicare prudenter, eſſe honeſtum; cùm ergo in tali concurſu probabilitatum hoc judicium pro parte debiliore haberi non poſſit, clarum eſt, non eſſe licitum, ſecundùm illam operari. Unde fruſtra prætenditur poſſeſſio libertatis, quæ non eſt, niſi ad prudenter agendum; hoc ergo ſi deſit, etiam poſſeſſio deeſt. Urg. qui rem alienam bona fide poſſedit, licitè illam retinet, habens rationes probabiles, quòd ſit ſua, licèt in oppoſitum ſtent rationes probabiliores; ergo etiam homo, qui eſt Dominus ſuorum actuum, retinebit hoc dominium, modò probabile illi ſit, quòd per tales actus verſetur circa rem

lici-

licitam. Reſp. tranſmiſſo, vel etiam conceſſo antecedente, nego conſ. quia bonæ fidei poſſeſſor poteſt ſibi formare hoc dictamen prudens: *etiamſi non poſſim prudenter judicare, rem eſſe meam, tamen honeſtum, & licitum eſt, illam retinere, quia favet mihi titulus indubitatus bonæ poſſeſſionis, quamdiu non convincitur, quòd res ſit aliena*: homo autem non poteſt ſibi formare hoc judicium: *etiamſi non poſſim prudenter judicare, actionem hìc & nunc eſſe licitam & honeſtam, tamen honeſtum & licitum eſt, illam facere, quia favet mihi titulus poſſeſſionis, ſive libertatis ad agendum*. Ubi enim eſt poſſeſſio ad agendum, quod non potes prudenter judicare, ſeu opinari, eſſe honeſtum?

Obiic. 4. operari ſecundùm opinionem probabiliorem, eſt licitũ in praxi: ſed opinio Probabiliſtarum, dicentium eſſe licitum operari ſecundùm minùs probabilē, eſt probabilior, quàm opinio Antiprobabiliſtarum, dicentium, dari obligationem operandi ſecundùm probabiliorem; ergo iuxta ipſos Antiprobabiliſtas licitum eſt operari ſecundùm ſententiam Probabiliſtarum, quæ dicit, licitum eſſe operari ſecundùm minùs probabilem. Hoc eſt argumentum, quo tanquam noſtro nos gladio ferire volunt Adverſarii. Sed non bene tractant noſtra arma. Sic

illis

illis utendum eſt : operari ſecundùm opinionem probabiliorem, *eſt debitum*: ſed opinio Probabiliſtarum eſt probabilior, quàm Antiprobabiliſtarum; ergo *debitum eſt*, operari ſecundùm opinionem Probabiliſtarum: ergo debitum eſt, minùs probabilia ſectari,& non licet meliora eligere. Item ſic. operari ſecundùm opinionem probabiliorem, eſt debitum: ſed opinio Probabiliſtarum eſt probabilior: ergo debitum eſt, illam ſequi: atqui dicit, licitum eſſe ſequi minùs probabilia;inter quæ eſt etiam ſententia Antiprobabiliſtarum,ergo debitum eſt,ſequi ſententiam Antiprobabiliſtarum. vel ſi hoc debitum ipſis nimium videatur, ſaltem licitum erit,ſequi Antiprobabiliſtas, tanquam minùs probabiliter opinantes: ſed qui operatur ſecundùm minùs probabilem opinionem, prudenter & laudabiliter facit, ſecundùm Probabiliſtas; ergo Antiprobabiliſtæ, & qui eos ſequuntur, prudenter & laudabiliter faciunt, dum imponunt hominibus obligationem, ſequendi probabiliora. ergo Probabiliſtæ, dum eos vituperant, quaſi imponentes onera importabilia, prudenter & laudabiliter facientes vituperant. In forma, nego min. quia nec eſt, nec unquam fiet probabilius, quòd rationes, notabiliter præponderantes,

pru-

prudenter poſſimus in affirmanda veritate poſtponere rationibus notabiliter inferioribus, hoc eſt, majorem lucis apparentiam dicere tenebras, caliginem verò lucem. neque auctoritas movere debet, quæ rationes minores præferri vult majoribus, & cujus aſſertiones non paucæ, in hoc genere, à Dei Vicariis proſcriptæ ſunt, & quæ tantopere in ſe diviſa eſt. Præſertim, cùm præcipua autoritas pro nobis ſit, & hujus temporis, & antiquitatis. ex qua à Candido Philaletho q.5. citatur Ariſtoteles, S.Auguſtinus, S.Chryſoſtomus, S.Thomas, Scotus, Richardus, Joan. Major, Gabriel, Cancellarius Pariſienſis, Conradus, Gandavenſis, Sylveſter, Nauarrus, &c.

Obiic. 5. eſt durum, & intolerabile onus, obligare homines, ut quoties aliquid ſunt facturi, conferant ſingulas opiniones, & expendant earum rationes, & fundamenta, ut poſtquam viderint, quæ earum ſit probabilior, eam ſequantur. Reſp. onus conferendi opiniones, etiam in ſententia Probabiliſtarum non abeſſe; quia debet operaturus conſiderare, an opinio, quam vult ſequi, ſit non ſolùm abſolutè, ſed etiam comparativè probabilis; quod fieri non poteſt ſine opinionum, & rationum collatione. Hac autem collatione facta, eo

ſtudio

ſtudio, quod Adverſariis aſſignare placuerit, ſequi probabilius, quod ſolùm poteſt prudenter judicare verum, non erit durum amanti Veritatem.

Objic. 6. ex ſententia Antiprobabiliſtarum ſequitur, quod quando pro gravi delicto proximi dantur motiva evidenter probabiliora, ſed fallibilia, & pro innocentia evidenter datur motivum magni momenti, minus tamen probababile, in tali caſu non poſſit quis prudenter judicare, proximum eſſe innocentem. Unde talis dicendus erit perdidiſſe jus bonæ de ſe opinionis, propter ſolam majorem probabilitatem fallibilem commiſſi gravis delicti, nihil ejus innocentiam juvante ratione magni, ſed minoris tamen momenti. Item non poterit abſolvi à Confeſſario pœnitens, de cujus ſufficiente dolore habentur rationes minus probabiles, & probabiliores de inſufficientia doloris. item non poterit quis *in animo ſuo omnes tanquam ſibi Superiores ducere*, modò appareant rationes magis probabiles, alterum non eſſe Superiorem in eo, in quo ſibi ipſum deberet præferre: hoc autem eſt contra regulam Societatis 29. Summarii, ergo. Reſp. Probabiliſtas hactenus admiſiſſe, quòd ſequens opinionem probabiliorem prudentiùs & laudabiliùs

agat,

agat, quàm ille, qui ſequitur opinionem minùs probabilem: vel ergo in poſitis caſibus admittunt, probabiliùs eſſe, quòd alter ſit judicandus nocens; non abſolvendus; non in animo pręferendus? aut non admittunt, iſta quoad licentiam eſſe probabiliora? Si non admittunt; ergo non oſtendunt, ex ſententia obligante ad probabiliora quoad licentiam, ſequi aliquod abſurdum: Si verò admittunt; ergo ſaltèm laudabilius erit, talem judicare nocentem, non abſolvere, non ſibi in animo præferre; & ſic laudabiliùs erit, regulam non ſervare, quàm implere; quod cùm nolint concedere, ut ſcio, neceſſe eſt dicere, quòd ex alio principio in ſimilibus caſibus, poſſit & debeat formari judicium, ver. gr. de innocentia: quia nimirum tamdiu cenſendus eſt aliquis innocens, quamdiu non probatur nocens; non autem hoc cenſetur fieri per rationes probabiliores, ſed certas, & convincentes: cùm ergo hæ abſint, prudenter poterit & debebit judicari, ob dictum principium, innocens. & ſimile quid inveniendum erit de abſolvendo, ſi velint, debere ipſum abſolvi. humili autem, alios ſibi præferendi, mille optimæquè artes non deerunt.

Obiic. 7. orta quæſtione de valore matri-

matrimonii , rogatus Pontifex Urbanus VIII. ut diſpenſaret , reſpondit , nulla opus eſſe diſpenſatione , ubi DD. ſententiæ utrinque probabiles intercederent ; ergo licitè proceditur ex probabilitate , licèt minor ſit . Reſp. 1. ex hoc non conſtare , an non major fuerit probabilitas pro matrimonio : ſecundùm quam proinde Pontifex , procedi poſſe ſine diſpenſatione , dixerit . R. 2. neque Adverſarios poſt prohibitionem ab Innocentio XI. factam , aſſerturos , in adminiſtratione Sacramentorum licitum ſequi minùs probabile de valore . R. 3. eruditionem illam non eſſe ſufficienti fide inſtructam , ut præclarè oſtenditur à Reverendiſſimo Patre Noſtro in tr. de uſu opinionum probabilium diſſert. 14. & deſumi etiam poteſt ex communi Probabiliſtarum ſilentio , qui hoc oraculum tacentes non præterirent , ſi vel minus probabile eſſet, fuiſſe pro ipſis locutum .

Obiic. 8. Advocatus poteſt defendere cauſam minus probabilem, aut æquè probabilem ; ergo non eſt illicitum , agere ſecundùm minùs , aut æquè probabile . R. conc. ant. diſt. conſ. ſecundùm minùs aut æquè probabile de valore , aut jure ; quia cum hoc aliquando ſtat magìs probabile , aut certum de licentia, conc. ſecundùm minùs, aut æquè

pro-

probabile de licentia, aut honeſtate; nego conſ. Conceſſi antecedens. quia quando cauſa partis oppoſitæ non eſt omnino certa, remanet aliquod dubium, an cauſa clientis non ſit juſta: in dubio autem cuivis licet proponere, quæ pro ſe faciunt: & hoc ſolum facit Advocatus nomine clientis; neque enim ille judicat, aut definit; ergo. Quod à fortiori verum eſt, ſi cauſa ſit æquè probabilis: tunc enim à Judice facienda eſt rei diviſio: ſed honeſtum & licitum eſt pro parte clienti adjudicanda loqui; ergo. id tamen cavere debet Advocatus, ne clientem, inani ſpe obtinendæ cauſæ, ad litigandum excitet, ſed potiùs ſincerè dicat, quem eventum auguretur: ut cliens, ſi litem nihilominus velit intendere, ſuo id periculo, non Advocati conſilio, aut inductione faciat, ſumptibus plerumque non parvis, & aliàs refundendis.

Hæc ſunt potiſſima ferè Adverſariorum fundamenta; quæ ſi commodè diſſolvimus, obſecro, ut non tantùm intellectu, ſed etiam voluntate & praxi deſerantur; quò Advocatum habeamus apud Patrem, JESUM CHRISTUM JUSTUM. Amen.

Errata. *p.* 22. *cauſa*. l. *caſu*. *p.* 89. *enarrationem*. l. *enervationem*. *p.* 157. *profeſſionem*. l. *poſſeſſionem*.

1.007.791


COLLECTIO PROPOSITIONUM DAMNATARUM Ab INNOCENTIO X. Ad Sanctiſs. D. N. INNOCENTIUM XII.

INCLUSIVE',

Cum aliis Conſtitutionibus Apo-ſtolicis, & Decretis,

Ad quoſcumque Confeſſarios neceſſariis, & opportunis.

4
204: 21
A. 24



ROMÆ, MDCXCIX.
Typis Lucæ Antonii Chracas. Propè Magnam Curiam Innocentianam.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

8.52. A.8
35.7. H.28.3
12.34. A.37.2

Digitized by Google

CONFIRMATIO,

ET DECLARTIO

Conſtitutionis Innocentii Papæ X. qua damnatæ ſunt quinque propoſitiones in materia Fidei excerptæ à libro Cornelii Ianſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus, Auguſtinus.

ALEXANDER

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Univerſis Chriſti fidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AD Sanctam Beati Petri Sedem, & Univerſalis Eccleſiæ regimen, inſcrutabili Divinæ Providentiæ diſpoſitione, nullis noſtris ſuffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris noſtri debito eſſe duximus, quàm ut Sanctæ

Fidei noſtræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tradita Nobis à Deo poteſtate opportunè conſuleremus; ac licèt ea, quæ Apoſtolocis Conſtitutionibus abundè fuerunt definita novæ deciſionis, ſive declarationis acceſſione, nequaquam indigeant, quià tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpretationibus labefactere non verentur, ne morbus iſte latiùs divagetur, promptum Apoſtolicæ authoritatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. Emanavit ſiquidèm aliàs à fœl. rec. Innocentio Papa X. Prædeceſſore noſtro Conſtitutio, declaratio, & definitio tenoris, qui ſequitur, videlicet. Innocentius Epiſcopus Seruus Servorum Dei. Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum occaſione impreſſionis libri, cui titulus Auguſtinus Cornelii Janſenii Epiſcopi Jprenſis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præſertim in Galliis, controverſia ſuper quinque ex illis, complures Galliarum Epiſcopi apud Nos inſtiterunt, ut eaſdem propoſitiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perſpicuam ferremus ſententiam. Tenor verò præfatarum propoſitionum eſt proùt ſe-

qui-

quitur. *Prima.* Aliqua Dei pręcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant. *Secunda.* Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur. *Tertia.* Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. *Quarta.* Semipelagiani admittebant pręvenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare. *Quinta.* Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò homnibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum noſtrum aſſiduè pulſant, illa in primis cordi eſt, ut Eccleſia Dei Nobis ex alto commiſſa, purgatis pravarum opinionum erroribus tuto militare, & tanquam navis in tranquillo mari ſedatis omnium tempeſtatum fluctibus, aç procellis, ſecurè navigare, & ad optatum ſalutis portum pervenire poſſit; Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id ſpecialitèr ſæpiùs congregatis, à plu-

 ri-

ribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem quinque propoſitiones, ut ſupra, Nobis oblatas, fecimus ſigillatim diligenter examinari, eorumque ſuffragia tùm voce, tùm ſcripto relata maturè conſideravimus, eoſdemque Magiſtros, variis coram Nobis actis congregationibus, prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet diſſerentes, audivimus. Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis ad divinum implorandum auxilium multorum Chriſtifidelium preces, tùm privatim, tùm publicè indixiſſemus: Poſtmodùm iteratis eiſdem ferventiùs, ac per Nos ſolicitè implorata Sancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Divino Numine favente ad infraſcriptam devenimus declarationem, & definitionem. *Primam prædictarum Propoſitionum*: Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoquè illis gratia, qua poſſibilia fiant. Temerariam, impiam, blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. *Secundum*. Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquàm reſiſtitur, hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. *Tertiam*. Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non re-

qui-

Digitized by Google

quiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. *Quartam*. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare, falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. *Quintam*. Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit. impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Mandamus igitur omnibus Chriſtifidelibus utriuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſentire, docere, prædicare alitèr præſumant, quam in hac præſenti noſtra declaratione, & definitione continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis. Præcipimus paritèr omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inqui-

Digitized by Google

quiſitoribus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & poenas prædictas, cœteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii sæcularis, omninò coerceant, & compeſcant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem ſuper prædictis quinque propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Janſenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kal. Iunii Pontificatus Noſtri anno nono. Cùm autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque propoſitiones, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſtifidelium ſcandalo non reformident. Nos qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficientèr, & attentè perſpeximus, utpotè qui ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris juſſu, dùm adhùc in minoribus conſtituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica authoritate, eadem

cau-

Digitized by Google

cauſa diſcuſſa eſt, ea profectò diligentia, qua major deſiderari non poſſet, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis inpoſterum auferre volentes; ut omnes Chriſtifideles in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis Officii, ac matura deliberatione, præinſertam Innocentii Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, declarationem, & definitionem, harum ſerie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt, *Auguſtinus*, excerptas, ac in ſenſu ab eodem Cornelio Janſenio intento damnatas fuiſſe, declaramus, & definimus, ac uti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum ſingillatim inuritur, iterùm damnamus, ac eundem librum ſæpè dicti Cornelii Janſenii, cui titulus, *Auguſtinus*, omneſque alios tam manuſcriptos, quàm Typis editos, & ſi quos forſan impoſterum edi contingerit, in quibus prædicta ejuſdem Cornelii Janſenii doctrina, ut ſupra damnata defenditur, vel aſtruitur, aut defendetur, & aſtruetur, damnamus itidem, atque prohibemus: Mandantes omnibus Chriſtifidelibus ne prædictam doctrinam te-

 ne-

neant, prædicent, doceant verbo, vel in ſcriptis exponant, vel interpretentur publicè, vel privatim, palam, vel occultè imprimant, ſub pœnis, & cenſuris contra Hæreticos in jure expreſſis ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cœteriſque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, ac Judicibus Eccleſiaſticis, ad quos pertinet, ut præinſertam ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris Conſtitutionem, declarationem, ac definitionem juxta præſentem noſtram determinationem ab omnibus obſervari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliiſque juris, & facti remediis, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Decimo ſeptimo Kal. Novembris, Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

I. Card. Prodat.

G. Gualterius.

Viſa de Curia. P. Ciampinus.

In

In Nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejuſdem Domini Noſtri JESV CHRISTI milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto Indictione nona Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris & D. N. D. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Anno ejus ſecundo, die verò ſeptima Menſis Novembris retroſcriptæ litteræ ſub Plumbo expeditæ, affixæ fuerunt ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Petrum Paulum de Graſſis Apoſtolicum Curſorem.

Pro Magiſtro Curſorum Jacobus Cornelius Curſor.

Ab eodem Pontifice ſub die quinto decimo Kal. Martii Anni 1654. fuit data formula ſubſcribenda, & illa omninò obſervanda. Incipit *Regiminis, &c.*

Et ab Innocentio XII. ſub die 28. Januarii 1694. fuerunt prohibiti omnes libri, tractatus, theſes, compoſitiones ſcriptę ex profeſſo, vel incidenter ſub quovis prætextu ſuper ſupradicta materia, & omninò obſervari ſupradictum formolarium Alexandri VII.

Feria V. die 24. Septembris 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſs. D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr Deputatis.

SAnctiſſimus D. N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ Diſciplinæ relaxativas, & animarum perciniem inferentes, partim antiquas iterùm ſuſcitari, partim noviter prodire; Et ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens eruptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent:

manent; arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeù veriùs perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D.N. ut oves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus feriò commiſit: Qui tantum negocium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hanc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitatis Suæ ſingillatim expoſuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum *fidei*, *ſpei*, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia aſſerens, Bullam Cœnæ ſolùm prohibere abſolutionem hæreſis, & aliorum criminum, quando publica ſunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus ſermo eſt, anno 1629. 18. Julii in Conſiſtorio

ſiſtorio Sacræ Congregationis Eminen. Cardinalium viſa, & tolerata eſt.

4. Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ abſolvere quoſcumque ſæculares ab hæreſi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurſa.

5. Quamvis evidenter tibi conſtet Petrum eſſe hæreticum, non teneris denunciare, ſi probare non poſſis.

6. Confeſſarius, qui in Sacramentali Confeſſione tribuit Pœnitenti chartam poſteà legendam, in qua ad Venerem incitat, non cenſetur ſollicitaſſe in Confeſſione, ac proinde non eſt denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ ſollicitationis eſt: Si ſollicitatus confiteatur cum ſollicitante, hic poteſt ipſum abſolvere abſque onere denunciandi.

8. Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere, applicando patenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus ipſimet Celebranti correſpondentem, idque poſt Decretum Urbani VIII.

9. Poſt Decretum Urbani poteſt Sacerdos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

Digitized by Google

10. Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre; Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata, danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeù oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam, non tenemur in ſequenti confeſſione exprimere.

12. Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id Epiſcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſtè reprobato.

14. Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam, ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt, qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Eſt licitum Religioſo, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minan-

nantem, occidere, quando alius modus defendendi non ſuppetit, uti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel ejus Religioni publicè, & coram graviſſimis Viris prædicta impingere, niſi occidatur.

18. Licet interficere falſum Accuſatorem, falſos Teſtes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.

19. Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehenſam.

20. Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pęna.

21. Habens Cappellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet.

22. Non eſt contra juſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione Beneficii, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod

quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult ſe ſubjicere præcepto.

24. Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideòque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatisfacit Confeſſionis pręcepto, dicens: commiſi cum ſoluta grave peccatum contra caſtitatem non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber ſit alicujus junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium propoſitionum examini cura, & ſtudium impenditur, intereà idem Sanctiſſimus re maturè conſiderata ſtatuit, & decrevit, prædictas propoſitiones, & unamquamq; ipſarum, ut minimum, tanquam ſcan-

ſcandaloſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet; itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, & defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus etiam ſpecialis ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. Menſis Octobris, Pontificatus autem Sanctiſſ. in Chriſto Patris D.N.D. Alex. Divina Providentia Papæ VII.

anno

anno undecimo, ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ, & SS. Inquiſitionis Curſorem.

Feria V. die 18. Martii 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana adverſus hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. poſt latum decretum die 24. Septemb. proximè elapſi, quo viginti octo propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Re-

& Reverendiſſimos DD. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

Propoſitio 29. in die jejunii, qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

31. Excuſantur abſolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conſiciant.

32. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

33. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paſchale, ſatisfacit præcepto.

35. Unico Officio poteſt quis ſatiſfacere duplici præcepto pro die præſenti, & craſtino.

36. Re-

36. Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie ſunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali confitendi quamprimùm, eſt conſilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimùm* intelligitur, cum Sacerdos ſuo tempore confitebitur.

40. Eſt probabilis opinio, quæ dicit, eſſe tantum veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis.

41. Non eſt obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dùm deficiente illo, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.

43. An-

43. Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus quàm per decem annos.

44. Quoad forum conſcientiæ, Reo correcto, ejuſque contumacia ceſſante, ceſſant cenſuræ.

45. Libri prohibiti, donec expurgentur, poſſunt retineri, uſque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè penſatis, idem Sanctiſſimus ſtatuit, ac decrevit, prædictas Propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ut minimùm, tanquam ſcandaloſas eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: Itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opinio-

niones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Joannes Lupus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.
Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto, Indictione quarta, die verò 13. menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris D. N. D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apaſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Carolum Melanum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.

Feria v. die 2. Martii 1679.

In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Vaticano coram Sanctiſs. D.N.D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreti-

reticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

SAnctiſs. D. N. Innocentius Papa XI. prædictus ovium ſibi à Deo creditarum ſaluti ſedulò incumbens, & ſalubre opus in ſegregandis noxiis doctrinarum paſcuis ab innoxiis à fel. rec. Alexandro VII. Prædeceſſore ſuo inchoatum, proſequi volens, plurimas propoſitiones partìm ex diverſis, vel libris, vel theſibus, ſeu ſcriptis excerptas, & partìm noviter adinventas Théologorum plurium examini, & deinde Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſubjecit. Quibus propoſitionibus ſedulò, & accuratè ſæpiùs diſcuſſis eorundem Eminentiſſimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis. Idem Sanctiſſimus D. N. re poſtea maturè conſiderata, ſtatuit, & decrevit pro nunc ſequentes propoſitiones, & unamquamque ipſarum, ſicut jacent, ut minimùm tamquam ſcandaloſas, & in praxi pernicioſas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicutì eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in

ipſo

ipſo non expreſſas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1. Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopalis.

2. Probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatìm dum probabilitate, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excuſabitur Infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile eſt, nè ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc ſolùm obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam

b viam

viam, qua juſtificari poſſumus.

8. Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modò non obſit valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in Secularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem, ut malum patris, ſed ut bonum cupientis, quia nimirùm ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Li-

Digitized by Google

15. Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20. Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaruralis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex Teſtimonio Creaturarum, ſimilive monito ad juſtificationem ſufficit.

24. Vocare Deum in Teſtem men-

dacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25. Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res, ſive levis, ſive gravis.

26 Si quis, vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocumque alio fine iuret, ſe non feciſſe aliquid, quod revera fecit; intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec eſt perjurus.

27. Cauſa juſta utendis his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel Officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis à ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Ur-

29. Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30. Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

31. Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32. Non ſolùm licitum eſt deſcendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33. Licitum eſt tam Hæredi, quàm Legatario contra injuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſtè impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, nè Puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quamdiù in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eamdem habere cùm paritur, ac conſe-

quenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

36. Permiſſum eſt furari, non solùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37. Famuli, & Famulæ domeſticæ poſſunt occultè hæris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40. Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem Perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41. Cùm numerata pecunia, pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor aliquid ultrà ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42. Uſura non eſt, dum vltrà ſortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed

ſolùm

Digitized by Google

ſolùm ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum.

43. Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere?

44. Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam, & honorem defendat. Etſi hoc non ſit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiam ſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale; immò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſicut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis.

47. Cùm dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles, ipſi judicaverint ad Eccleſias promovent, Concilium, vel primò videtur per hoc digniores non aliud ſignificare velle, niſi dignitatem eligendorum, ſumpto

Digitized by Google

comparativo pro poſitivo; vel ſecundo locutione minùs propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tandem loquitur tertiò, quando fit concurſus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolùm eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omninò rationi diſſonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali.

50. Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium; adeòque ſufficit in confeſſione dicere, ſe eſſe fornicatum.

51. Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandum Virginem, & multoties eidem ſubſervit deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, nè torvis oculis aſpiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum ſervandi Feſta non obligat ſub mortali, ſepoſito ſcandalo, ſi abſit contemptus.

53. Sa-

53. Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immò quatuor ſimul à diverſis Celebrantibus audit.

54. Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad ſe minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confeſſio, & Communio, etiam in his, qui gentilitèr vivunt, eſt nota prædeſtinationis.

57. Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.

58. Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem.

59. Licet Sacramenraliter abſolvere dimidiatè tantùm confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium qualis, ver. gr. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat, ſe dolere, & proponere emendationem.

61. Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt, & non vult omittere, quinimmò directâ, & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.

62. Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.

63. Licitum eſt quærere directè occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali, vel temporali noſtro, vel proximi.

64. Abſolutionis capax eſt homo quantumvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, & etiamſi per negligentiam, etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

65. Sufficit illa Myſteria ſemel credidiſſe.

Quicumque autem cujuſvis conditionis, ſtatus, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de eis diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, à non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi pro tempore exiſtente

te

Digitized by Google

te Romano Pontifice, abſolvi.
Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Tandèm, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterùm ſe abſtineant, & ut paci & charitati conſulatur idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quàm in Theſibus, Diſputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni cenſura, & nota, necnon à quibuſcumque conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hincindè controvertuntur, donec à S. Sede recognitæ ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate Domini Noſtri IESU CHRISTI milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono, Indictione ſecunda die verò 4. Menſis Martii, Pontificatus autem

Sanctiſs. in Chriſto Patris , & D.N.D. Innocent. Divina Providentia Papæ XI. anno tertio , ſupradictum decretum affixum , & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum , Cancellariæ Apoſtolicæ , ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis , & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ , & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem .

Feria v. die 23. Novembris 5679.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XI. ac Eminentiſſimis , & Reverendiſſimis Dominis S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis .

CUM ſupradictis Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. delatæ fuerint hæ duæ propoſitiones , *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam , ut ea utamur , ſicut aliquis donat alteri villam , vel librum* ; & , *Deus ſubjicit nobis ſuam omnipotentiam* ; eorumdem juſſu per Theologos

gos ad id ſpecialiter SS. D. N. relata, & coram Sua Sanctitate propoſita una cum votis ipſorum Eminentiſſimorum, RR. DD. S.R.E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit, & mandavit, ut ambæ propoſitiones omnino prohiberentur, ſicut eas præſenti decreto damnat, & prohibet, uti temerarias adminimum, & novas, mandatque, ne quiſquam deinceps cujuſcumqne ſit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſive ſcriptis, aut etiam oretenùs docere, vel aſſerere, ſub pœnis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliiſque Sanctitati Suæ benè viſis.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & univerſalis Inquiſitionis Secretarius.

Loco ✠ Sigilli

Die 2. Decembris 1679. ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Feria

Feria iv. die 18. Novembris 1682.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Conventu S. Mariæ ſuper Minervam coram Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

PRævia matura conſultatione DD. Conſultorum facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis. *Scientia ex confeſſione acquiſita uti licet, modò fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multò gravius ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius meritò contemnatur*: addita deindè explicatione, ſive limitatione; quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſita cum gravamine pœnitentis ſecluſa quacunque revelatione, atque in caſu, quo multò gravius gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur, & ſtatuerunt dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione,

ne, & præſenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis: mandantes etiam univerſis Sacramenti pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

Franciſcus Riccardus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli

Die 5. Decembris 1682. ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. D. N. Papæ, & SS. Inquiſitionis Curſorem.

D E C R E T U M.

Feria v. die 28. Auguſti 1687.

In Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſſimo D. Noſtro INNOCENTIO Divina Providentia PAPA XI.

ac

ac Eminentiſs. & Reverendiſsimis DD. S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

AD abolendam pernicioſiſſimè hæreſis pravitatem, quę in pleriſque Mundi partibus, non ſine maximo animarum diſcrimine invaluit, rigor debet Apoſtolicus excitari, ut Pontificiæ ſollicitudinis authoritate, & providentia, Hæreticorum protervia in ipſis ſuæ falſitatis conatibus elidatur, & Catholicæ veritatis lumen in Eccleſia Sancta reſplendens, eam utique demonſtret ab omni eſecratione falſorum dogmatum expiatam. Cùm igitur compertum fuerit quemdam Michaelem de Molinos perditionis filium, prava dogmata, tùm verbo, tùm ſcriptis, paſsim docuiſſe, & in praxim deduxiſſe, quæ prætextu Orationis Quietis contra doctrinam, & uſum, à SS. Patribus, ab ipſis Eccleſiæ naſcentis primordiis receptum, fideles à vera Religione, & à Chriſtianæ pietatis puritate, in maximos errores, & turpiſſima quæque inducebant. Sanctiſſimus Dominus Noſter INNOCENTIVS PAPA XI. cui cordi eſt ut fidelium Animæ ſibi ex alto commiſſæ, purgatis

gatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum ſalutis portum tutò pervenire poſſint, pro re tam gravi, auditis pluries coram ſe Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana Generalibus Inquiſitoribus, ac pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eorumque ſuffragiis, tùm voce, tùm ſcripto ſuſceptis, maturèque perpenſis; implorata etiam Sancti Spiritus aſſiſtentia, ad damnationem infraſcriptarum propoſitionum ejuſdem Michaelis de Molinos, à quo fuerunt pro ſuis recognitæ, & de quibus propoſitionibus tamquam à ſe dictatis, ſcriptis, communicatis, & creditis, ipſe convictus, & reſpectivè confeſſus eſt, devenire, ut infra decrevit.

PROPOSITIONI.

PRima. Biſogna annientarſi, & annichilarſi le potenze; e queſta è la via interna.

2. Il voler operare attivamente è un'offendere Iddio, che vuol eſſer lui ſolo agente, e però biſogna abbandonarſi in lui, e ſtarſene poi come un corpo morto.

3. Li voti di fare qualche coſa, ſono impeditivi della perfettione.

5. L'atti-

4. L'attività naturale è nemica della grazia, & impediſce l'operazione di Dio, e la vera perfezione, perche Dio vuole operare in noi, ſenza noi.

5. Con niente operare l'Anima s'annienta, e torna al ſuo principio, & alla ſua origine, che è l'eſſenza di Dio, dove reſta trasformata, e divinizzata, e Dio all'hora reſta in ſe ſteſſo; perche all'hora non ſono più due coſe unite, ma una ſola, e così vive, e regna Dio in noi. E l'Anima s'annienta nell' eſſere operativo.

6. La ſtrada interna è quella, in cui non ſi conoſce nè lume, nè amore, nè raſſegnazione, e non biſogna conoſcer Iddio, e così và bene.

7. Non deve l'anima penſare, nè a premio, nè a gaſtigo, nè a Paradiſo, nè ad Inferno, nè a morte, nè ad Eternità.

8. Non deve voler ſapere, ſe cammina con la volontà di Dio, ſe ſtà raſſegnata à quella, o nò, nè biſogna vogli conoſcere il ſuo ſtato, nè il proprio niente, ma che ſe ne ſtii come un corpo morto.

9. Non deve l'anima ricordarſi nè di ſe, nè di Dio, ne di coſa alcuna, e nella via interna ogni rifleſſione è nociva, anche la rifleſſione alle ſue humane

ne azzioni, & a proprii difetti.

10. Se con i proprii difetti ſcandalizza altrui, non biſogna farvi rifleſſione, purche la volontà non ſii di ſcandalizzare, e il non poter riflettere à proprii difetti è grazia di Dio.

11. Alli dubii, che vengono, ſe ſi camina bene, o nò, non biſogna riflettere.

12. Chi hà dato il libero arbitrio à Dio, non deve curarſi di coſa alcuna, nè d'Inferno, nè di Paradiſo, nè d'haver deſiderio della propria perfezione, nè delle virtù, nè della propria Santità, nè della propria ſalute, di cui deve anche purgare la ſperanza.

13. Conſegnato, che ſi è il libero arbitrio a Dio, ſi deve laſciare a lui la cura, & il penſiero d'ogni coſa noſtra, e laſciar, che faccia in noi ſenza noi il ſuo divin volere.

14. Chi ſtà raſſegnato nella divina volontà non conviene, che domandi à Dio coſa alcuna, poiche il domandare è imperfezzione, eſſendo atto di propria volontà, & elezione, & è un volere, che la Divina Volontà ſi conformi alla noſtra, e non la noſtra a quella di Dio. Et il *Petite, & accipietis* dell' Evangelio non è ſtato detto da Criſto per l'anime interne, quali non vogliono

haver

haver volontà, anzi che queſte giungono a non poter domandare a Dio coſa alcuna.

15. Si come non devono domandar niente a Dio, così non devono ringraziarlo di coſa alcuna, perche tanto l'uno, quanto l'altro è atto di propria volontà.

16. Non conviene cercare Indulgenze alla pena dovuta per i peccati proprii, perche è meglio ſodisfare alla Divina Giuſtizia, che cercare la miſericordia, poiche quello procede dall' amor puro di Dio, e queſto dall'amore intereſſato di noi, e non è coſa grata a Dio, nè meritoria, perche è un volere sfuggire la Croce.

17. Dato che ſi ſia à Dio il libero arbitrio, e la cura, & il penſiero dell' anima noſtra non ſi devono più ſtimare le tentazioni, nè ſi deve farli altra reſiſtenza ſe non negativa, ſenza uſare induſtria, e ſe la natura ſi riſente, biſogna laſciarla riſentire, perche è natura.

18. Chi nell' orazione ſi ſerve d'Imagini, Figure, ſpecie, e de' proprii concetti, non adora Dio *in ſpiritu, & veritate*.

19. Chi ama Dio come la raggione l'argomenta, o l'intelletto lo comprende, non ama il vero Dio.

20. Il

20. Il dire, che nell'orazione biſogna ajutarſi col diſcorſo, e con i penſieri, quando Dio non parla all'anima, è un' ignoranza. Iddio non parla mai, il ſuo parlare, è operare, e ſempre opera nell' anima, quando queſta con ſuoi diſcorſi, penſieri, & operare, non l'impediſce.

21. Nell' orazione biſogna ſtarſene in fede oſcura, & univerſale con quiete, e ſcordanza d'ogn'altro penſiero particolare; e diſtinto degl'attributi di Dio, e Trinità, e ſtar così alla preſenza di Dio per adorarlo, ſervirlo, & amarlo, ma ſenza produzzione d'atti, perche Dio non ſi ſodisfa di queſta robba.

22. Non è queſto conoſcimento della Fede un'atto prodotto dalla Creatura, ma un conoſcimento datogli da Dio, che la Creatura non conoſce di averlo ne meno dopo conoſce d'averlo avuto, e lo ſteſſo ſi dice dell'amore.

23. Li miſtici con S. Bernardo nella *Scala Clauſtralium* diſtinguono quattro gradi, Lezzione, Meditazione, Orazione, e Contemplazione infuſa. Chi ſtà ſempre nel primo mai paſſa al ſecondo. Chi ſtà ſempre nel ſecondo, mai arriva al terzo, che è la noſtra Contemplazione acquiſtata, in cui ſi deve ſtare tutta la vita, purche Dio non cavi l'ani-

ma,

ma, ſenza che eſſa l'aſpetti, alla contemplazione infuſa, e ceſſando queſta, deve tornar l'anima al terzo grado, e ſtarſene in eſſo ſenza paſſar più al ſecondo, nè al primo.

24. Per quanti penſieri venghino nell'orazione anche impuri, anche contro Dio, e Santi, e la Fede, e Sagramenti, e ſe non ſi nodriſcono volontariamente, ne ſi diſcacciano con atto di volontà, ma ſi ſoffrono con indifferenza, e raſſegnazione, non impediſcono l'orazione di Fede, anzi la fanno più perfetta, perche l'anima ſtà più raſſegnata alla Divina Volontà.

25. Ancorche ſopravenna il ſonno, e ſi dorma, ad ogni modo ſi ora, e ſi contempla attualmente, perche orazione, e raſſegnazione, raſſegnazione, & orazione tutto è uno, e mentre la raſſegnazione continua, continua pure l'orazione.

26. Quelle trè Vie, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, ſono uno ſpropoſito il maggiore, che ſi ſia detto nella miſtica, non eſſendovi piu che una via, cioè la via interna.

27. Chi deſidera, & abbraccia la devozione ſenſibile, non deſidera, nè cerca Dio; ma ſe ſteſſo, e fà male a deſiderarla, e far sforzi per haverla, chi ca-

camina per la via interna, tanto ne' Luoghi Sagri, quanto in giorni ſolenni.

28. E buono il tedio delle coſe ſpirituali, perche così ſi purga l'amore proprio.

29. Quando un'anima interna s'infaſtidiſce de i diſcorſi di Dio, e delle virtù, e reſta fredda ſenza ſentirſi infervorare, è buon ſegno.

30. Tutto il ſenſibile, che ſi prova nella vita Spirituale è abominevole, ſporco, & immondo.

31. Neſſun meditativo eſercita le vere virtù interne, quali non hanno da eſſer conoſciute da ſenſi. Biſogna perdere le virtù.

32. Nè avanti, nè dopo la Communione ci vuole altro preparamento, ò ringraziamento (per queſt' anime interne) che ſtarſene nella ſolita raſſegnazione paſſiva, poiche in queſta vi è l'amore, che ſuppliſce con modo più perfetto di tutti gl'altri atti di virtù, che ſi potrebbero fare, e ſi fanno nella via ordinaria. E ſe in queſta occaſione di Communione vengono moti di humiliazione, petizione, o ringraziamento, ſi devono reprimere, ogni volta non ſi conoſca eſſere impulſi ſpeciali di Dio, altrimente ſono impulſi della natura, che non è morta.

33. Fà

33. Fà male l'anima, che cammina queſta via interna, ſe ne' giorni ſolenni vuol fare qualche sforzo particolare per aver qualche ſentimento divoto, poiche all' anima interna tutti i giorni ſono eguali, tutti Feſte. E l'iſteſſo ſi dice de' Luoghi Sagri, poiche tutti i luoghi à queſt'anime ſono eguali.

34. Il ringraziare Iddío con la lingua, e con parole, non è per l' anime interne, le quali devono ſtarſene zitte, ſenza metter neſsuno impedimento a Dio, che operi in loro, e quanto più ſi raſſegnano in Dio, ſperimentano il non poter dire il *Pater noſter*.

35. L'Anime di queſta via interna non conviene, che faccino operazioni anche virtuoſe di propria elezzione, & attività, altrimente non ſarebbero morte; nè devono fare atti d'amore verſo la Madonna, li Santi, l'Umanità di Criſto, perche eſſendo quegl' oggetti ſenſibili, tale è l'amore verſo di loro.

36. Neſſuna Creatura, nè la Madonna, nè Santi deve ſedere nel noſtro cuore; perche Dio ſolo vuole occuparlo, e poſſederlo.

37. In occaſione di tentazioni anche furioſe non deve l'anima far atti eſpliciti di virtù oppoſte, ma ſtarſene nel ſudetto amore, e raſſegnazione

38. La.

38. La Croce volontaria delſe mortificazioni è peſante, e ſenza frutto, e però biſogna laſciarla.

39. Le opere più ſante, e le penitenze, che hanno fatto li Santi, non baſtano per levare dall'anima un ſolo attacco.

40. La Beata Vergine non fece mai un opera eſteriore, e fù la più Santa di tutti li Santi; dunque ſi può arrivare alla ſantità ſenz'opera eſteriore.

41. Iddio permette, e vuole, per humiliarci, e farci giungere alla vera trasformazione, in alcune anime perfette, etiamdio non arrettitie, che il Demonio cagioni violenza nel loro corpo, e le faccia commettere atti carnali, anche in vigilia, anche ſenza offuſcazione di mente, movendogli fiſicamente le mani, & altri membri contro loro volontà. E l'iſteſſo ſi dice in ordine ad altri atti per ſe ſteſſi peccaminoſi, nel qual caſo non ſono peccato, perche non vi è il conſenſo.

42. Può darſi il caſo, che queſte violenze ad atti carnali, ſiino nell'iſteſſo tempo per parte di due perſone, cioè vuomo, e donna, e ne ſegua l'atto per parte d'entrambi.

43. Iddio ne' tempi paſſati faceva i Santi per mezzo de' Tiranni, hoggi li

fà per mezzo de i Demonii, che cagionandogli le dette violenza fà che quelli maggiormente ſi avviliſchino, s'annientino in ſe steſſi, e ſi raſſeghino in Dio.

44. Giobbe beſtemmiò, e con tutto ciò *non peccavit labiis ſuis*, perche fù per violenza del Demonio.

45. S. Paolo patì nel ſuo corpo tali violenze del Demonio; onde ſcriſſe -- *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum hoc facio.*

46. Queſte violenze ſono il mezzo più proportionato per annichilar l'anima, e farla giungere alla vera trasformazione, & unione; e non vi è altra ſtrada, & è la via più facile, e più ſicura.

47. Quando vengono queſte violenze biſogna laſciar fare a Satanaſſo, ſenza uſare propria induſtria, nè propria forza, ma ſtarſene nel ſuo niente, & ancorche ſuccedino polluzioni, & atti oſceni con le mani, & anche coſe più ſtrane, non biſogna inquietarſene, ma laſciar fuori li ſcrupoli, li dubii, e le paure, perche l'anima diventa più illuminata, più fortificata, e candida, e ſi acquiſta la ſanta libertà. E ſopra tutto non biſogna confeſſarſene, e ſi fà ſantiſſimamente a non confeſſarſene, per-

Digitized by Google

perche così ſi vince il Demonio, e ſi guadagna un teſoro di Pace.

48. Satanaſſo, che fà tali violenze, dà poi ad intendere, che ſono gravi mancamenti per inquietar l' anima, affinche non s'avvanzi nel camino interno; onde per levare a quello la forza, è meglio non confeſſarſene; perche non ſono ne meno peccati veniali.

49. Giob per violenza del Demonio facea le polluzioni con le ſue mani nel medeſimo tempo, che *mundas habebat ad Deum preces*. Così interpretando in tal ſenſo un Teſto del c. 16. di Giob.

50. David, e Geremia, e molti de' Profeti Santi pativano tali violenze di queſte impure operazioni eſterne.

51. Nella Scrittura Sagra vi ſono molti eſempi delle violenze ad atti eſterni peccaminoſi. Come di Sanſone, che per violenza ſi ammazzò da ſe ſteſſo con i Filiſtei, ſi maritò con una Alienigena, e fornicò con Dalila Meretrice, che per altro erano coſe proibite, e ſarebbero ſtati peccati. Di Giuditta, che mentì ad Oloferne. D. Eliſeo, che malediſſe i fanciulli. D. Elia, che abrugiò li due Capitani con le Truppe del Rè Acab; ſe poi ſia ſtata violenza fatta immediatamente da Dio, o col miniſtero del Demonio, come ſiegue in altr'ani-

 me,

me, ſi laſcia in dubio.

52. Quando queſte violenze anche impure vengono ſenz' offuſcazione di mente, all'hora l'anima può unirſi con Dio, e di fatto ſempre più s'uniſce.

53. per conoſcere in prattica, ſe qualche operazione in altre perſone ſia ſtata violenza; la regola, che ne hò, non ſolo ſon le proteſte di quell'anime di non avere acconſentito, o il non poter eſſe giurare d'averli acconſentito; Et il vedere, che ſono anime, che profittano nella via interna, ma principalmente mi regolo con un lume attuale, e ſuperiore alla cognizione humana, e Theologica, che mi fa conoſcere certamente con interna ſicurezza, che tale operazione è violenta, e queſto lume ſon certo, che vien da Dio, perche mi vien congionto colla ſicurezza, che venga da Dio, e non mi laſcia pur ombra di dubio in contrario in quella maniera, che alle volte ſuccede, che Dio revelando qualche coſa, nel medemo tempo aſſicura l'anima, che tale rivelazione la fà lui, e l'anima non può dubitare in contrario.

54. Li Spirituali della via ordinaria nell'hora della morte ſi trovaranno burlati, e confuſi con tutte le paſſioni da purgare nell'altro mondo.

55. Per

55. Per queſta via interna, ſi arriva benche con molta ſofferenza, a purgare, e far morire tutte le paſſioni, in maniera, che non ſi ſente più niente, niente, niente, ne ſi prova alcuna inquietitudine, come un corpo morto, ne l'anima ſi laſcia più traſportare.

56. Le due leggi, e le due voglie, una dell'anima, e l'altra dell'amor proprio, durano quanto dura l'amor proprio; onde quando queſto è purgato, e morto, come ſi fà per la via interna, non vi ſono più le due leggi, ne le due voglie, ne ſi fà più alcuna ſcappata; e non ſi ſente più niente, ne pure un peccato veniale.

57. Per la contemplazione acquiſtata, ſi arriva ad un ſtato di non far più peccati nè mortali, nè veniali.

58. Si ci arriva a tal ſtato con non far rifleſſione più alle proprie operazioni, perche li difetti naſcono dalla rifleſſione.

59. La ſtrada interna è ſeparata dalla Confeſſione, da Confeſſori, e da caſi di coſcienza, dalla Teologia, e dalla Filoſofia.

60. All' anime provette, che cominciano à morire alle rifleſſioni, & anche arrivano ad eſſer morte, Dio impoſſibilita alle volte la Confeſſione, e ſup-

Digitized by Google

ſuppliſce lui con altretanta grazia preſervante, quanta ne riceverebbero dal Sagramento, e però a queſt'anime non fà bene in tal caſo accoſtarſi al Sagramento della Penitenza, perche non poſſono.

61. Gionta l'anima alla morte miſtica, non può più voler altro, ſe non quello Dio vuole, perche non hà più volontà, e Dio gli l'hà ritolta.

62. Per la via interna ſi arriva a ſtarſene immobile continuamente in una pace imperturbabile.

63. Si arriva pure colla via interna alla morte de' ſenſi; anzi ſegno di ſtare nel nulla, cioè d'eſſer morto di morte miſtica, è, ſe li ſenſi eſteriori non rappreſentano più le coſe ſenſibili, come ſe non vi foſſero; poiche non paſſano a fare, che l'intelletto vi applichi.

64. Il Teologo hà meno diſpoſizione, che il ſemplice per eſſer contemplativo. *Primo*, perche non hà la Fede tanto pura. *Secondo*, perche non è tanto humile. *Terzo*, perche non ſi cura tanto della ſua ſalvazione. *Quarto*, perche hà la teſta piena di fantaſie, ſpecie, opinioni, e ſpeculazioni, e non può entrarvi il vero lume.

65. Alli Superiori ſi deve obedire nell'eſteriore, e la latitudine del voto del-

dell'obedienza de'Religioſi arriva ſolamente all'eſteriore; nell'interiore è altra coſa, ove ſolo Dio, e la guida entrano.

66. E' degna di riſo una nuova dottrina nella Chieſa di Dio, che l'anima in ordine all' interno ſi deve governare per il Veſcovo, e ſe queſto non è capace, che vada l'anima da lui col ſuo direttore. Dico nuova; perche nè la Sagra Scrittura, nè Concilii, nè Canoni, nè Bolle, nè Santi, nè Autori, l'hanno mai detta, nè la poſſono dire, perche *Eccleſia non judicat de occultis*; e l'anima hà jus d'eleggere chi le pare.

67. Il dire, che ſi dee manifeſtare l'interno al Tribunale eſteriore de' Superiori, e che è peccato non farlo; queſto è un inganno manifeſto, perche *Eccleſia non judicat de occultis*, e pregiudicano all'anime loro con queſt'inganni, e finzioni.

68. Nel Mondo non vi è facoltà, nè giuriſdizzione per commandare a manifeſtare le lettere del direttore intorno all'interno dell'anima; e però biſogna ſtare avvertiti, che queſto è un aſſalto di Satanaſſo.

QUas quidem Propoſitiones tamquam hæreticas, ſuſpectas, erroneas, ſcandaloſas, blaſphemas, piarum aurium offenſivas, temerarias, Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & everſivas, & ſeditioſas reſpectivè, ac quæcumque ſuper iis verbo, ſcripto, vel Typis emiſſa, damnat, circumſcribit, & abolet, deque eiſdem, & ſimilibus omnibus, & ſingulis poſthac quoquo pacto loquendi, ſcribendi, diſputandi, eaſque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi, facultatem quibuſcumque interdicit. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis ipſo facto perpetuò privat, & inhabiles ad quæcumque decernit, vinculo etiam anathematis eo ipſo innodat, à quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipſos (excepto mortis articulo) abſolvere.

Prætereà Sanctitas Sua prohibet, ac damnat omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impreſſa, necnon omnia manuſcripta ejuſdem Michaelis de Molinos, vetatque ne quis cujuſcumque gradus, conditionis, vel ſtatus, etiam ſpeciali nota dignus, audeat ſub quovis prætextu,

quo-

quolibet pariter idiomate, ſivè ſub eiſdem verbis, ſivè ſub æqualibus, aut æquipollentibus, ſivè abſque nomine, ſeù ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impreſſa, ſeù manuſcripta legere, vel apud ſe retinere, ſed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus ſtatìm tradere, & conſignare teneatur ſub iiſdem pœnis ſuperiùs inflictis, qui Ordinarii, & Inquiſitores ſtatìm ea igne comburant, & comburi faciant.

Alexander Speronus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Locus ✠ Sigilli.

Die 3. Septembris 1687. ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Perinum Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.

Feria v. die 24. Auguſti 1690.

In generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Pa-

latio Apoſtolico Montis Quirinalis coram Sanctiſs. D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa XII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputatis.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non ſine magno animi ſui mœrore audivit duas Theſes, ſeu Propoſitiones, unam denuò, & in majorem Fidelium perniciem ſuſcitari, alteram de novo erumpere; Et cùm ſui Paſtoralis Officii munus ſit, oves ſibi creditas à noxiis paſcuis avertere, & ad ſalutaria ſemper dirigere, dictarum Theſium, ſivè Propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſedulò commiſit, qui pluries re maturè diſcuſſa infraſcriptis Theſibus, ſeù propoſitionibus ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

I. Bonitas obiectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis verò in conformitate actus cum regula mo-

morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè — HUNC HOMO NON TENETUR AMARE, NEQUE IN PRINCIPIUM, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORALIS.

II. Peccatum philoſophicum, ſeù morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum, vel ignorat, vel de Deo actum non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctiſſimus omnibus plenè, & maturè conſideratis, primam Theſem, ſeù Propoſitionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet ſub Cenſuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expreſſis; Secundam Theſem, ſeù Propoſitionem declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, ſicuti damnat, & prohibet, itaut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam diſputaverit pu-

blicè, ſeù privatìm tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolui. Inſuper diſtrictè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcumque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpecialis, & ſpecialiſſima nota dignis, nè prædictam Theſem, ſeù propoſitionem ad praxim deducant.

Alexander Speronus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Die 24. *Augusti* 1690. *ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii* S. *Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. D. N. Papæ & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.*

Fe-

Feria v. die 7. Decembris 1690.
In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſſimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentiſs. & Reverendiſs. DD. S. R. E. Cardinalibus, in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus, à Sancta Sede Apoſtolica ſpecialitèr deputatis.

SAnctiſſimus D. N. ALEXANDER Divina Providentia Papa VIII. prędictus: Pro Paſtorali cura ovium à CHRISTO Domino ſibi commiſſa de earum ſalute ſollicitus, & inoffenſo gradu per rectas ſemitas poſſint incedere, & paſcua nimiùm pernicioſa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius ſupra triginta propoſitionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deindè Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus commiſit, qui tantum negocium diligenter aggreſſi, eique ſedulò, ac pluries incumbentes, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim detulerunt.

Pro-

Propoſitiones autem ſunt infraſcriptæ, videlicet.

1. IN ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum, ſufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in cauſa ſua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2. Tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturę lapſæ operantem ex ipſa, non excuſat à peccato formali.

3. Non licet ſequi opinionem, vel inter probabiles probabiliſſimam.

4. Dedit ſemetipſum pro nobis oblationem Deo, non pro ſolis Electis, ſed pro omnibus, & ſolis Fidelibus.

5. Pagani, Iudæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omninò accipiunt à Jeſu Chriſto influxum, adeòque hinc rectè inferes in illis eſſe voluntatem nudam, & inermem, ſine omni gratia ſufficienti.

6. Gratia ſufficiens ſtatui noſtro, non tàm utilis, quàm pernicioſa eſt, ſicut proindè meritò poſſimus petere, à gratia ſufficienti. *Libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, eſt Dei dilectio, vel mundi, ſi Dei, Charitas Patris eſt, ſi Mundi, concupi-

pi-

piſcentia carnis, hoc eſt, mala eſt.

8. Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare.

9. Re vera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

10. Intentio qua quis deteſtatur malum, & proſequitur bonum, malè ut Cœleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13. Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei, propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis?

16. Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni, induxit, non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa

Chri-

Chriſti lex, & præſcriptio naturæ rei id ipſum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox abſolvendi, ordo pœnitentiæ eſt inverſus.

18. Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confeſſiones apud Religioſos factæ, plæreque, vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21. Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, ſeù ſatisfactione, ob quæſtum, ſeù lucrum ſubſidii temporalis.

22. Sacrilegi ſunt judicandi qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequàm condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.

23. Similitèr arcendi ſunt à Sacra Communione, quibus non dum ineſt Amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24 Oblatio in Templo, quæ fiebat

à B. V.

Digitized by Google

à Beata Virgine MARIA in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtantur, quod indiguerit purificatione, & quòd filius, qui offerebatur, etiam macula matris maculatus eſset, ſecundùm verba legis.

25. Dei Patris ſedentis Simulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26. Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana eſt.

27. Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus, *in nomine Patris, &c.* prætermiſſis illis *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptiſmus collatus à Miniſtro qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit. *Non intendo facere, quod facit Eccleſia*.

29. Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clarè fundatam, illam abſolutè poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31 Bul-

Digitized by Google

31. Bulla Urbani VIII. *In eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus maturè conſideratis idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones tanquam temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, injurioſas, hæreſi proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & Hæreticas reſpectivè, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, & prohibet; itaut quicumque illas, aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè, publicè, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitete fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus, cujuſcumque conditionis, dignitatis, & ſtatus, etiam ſpecialis, & ſpecialiſſima nota dignis, nè pradictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc decretum alias propoſitiones

in

in majori numero ultra ſupradictas 31. iam exhibitas, & in hoc decreto non expreſſas approbare.

Alexander Speronus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. Jeſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo, Indict. 13. die 20. Decembris, Pontificatus autem SS. D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Pp. VIII. anno ſecundo, ſupradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum SS. D. N. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.

SAN-

Digitized by Google

SANCTISS. D. N. D.
INNOCENTII
DIVINA PROVIDENTIA
PAPÆ XII.

Damnatio, & prohibitio Libri Pariſiis anno MDCXCVII. impreſſi, cui titulus *Explication des Maximes des Saints ſur la vie interieure &c.*

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM aliàs ad Apoſtolatus Noſtri notitiam pervenerit in lucem prodiiſſe librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus: *Explication des Maximes des Saints ſur la Vie interieure, par Meſſire Francois de Salignac Fenelon, Archevèque Duc de Cambray, Precepteur de Meſſeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubovin, Pierre Emery, Charles Clouſier* 1697. Ingens verò ſubinde de non ſana libri hujuſmodi

di doctrina excitatus in Galliis rumor adeò percrebuerit, ut opportunam Paſtoralis vigilantiæ noſtræ opem efflagitaverit, Nos eumdem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Noſtris S.R.E. Cardinalibus, aliiſque in Sacra Theologia Magiſtris, maturè, ut rei gravitas poſtulare videbatur, examinandum commiſimus. Porrò hi mandatis noſtris obſequentes, poſtquam in quamplurimis Congregationibus varias propoſitiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examine diſcuſſerant, quid ſuper earum ſingulis ſibi videretur, tam voce, quàm ſcripto nobis expoſuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis deſuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magiſtrorum ſententiis, Dominici Gregis Nobis ab Æterno Paſtore crediti periculis, quantum Nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, ſeù quavis editione, aut verſione hucuſque impreſſum, aut in poſterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & uſu fideles ſenſim in erro-

rores ab Eccleſia Catholica jam damnatos induci poſſent, ac inſuper tamquam continentem propoſitiones ſive in obvio earum verborum ſenſu, ſive attenta ſententiarum connexione, temerarias, ſcandaloſas, malè ſonantes, piarum aurium offenſivas, in praxi perniicioſas, ac etiam erroneas reſpectivè, tenore præſentium damnamus, & reprobamus, ipſiuſque libri impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, retentionem, & uſum omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus etiam ſpecifica, & individua mentione, & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis per contrafacientes ipſo facto abſque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apoſtolica auctoritate mandantes, ut quicumque ſupradictum librum penès ſe habuerint, illum ſtatim, atque præſentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus tradere, ac conſignare omninò teneantur. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Cæterum Propoſitiones in dicto libro contentę, quas Apoſtolici cenſura judicii, ſicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum verſæ, ſunt tenoris, qui ſequitur, videlicet: *I. Datur*

ha-

habitualis ſtatus amoris Dei , qui eſt Charitas pura , & ſine ulla mixtione motivi proprii intereſſe . Neque timor pœnarum , neque deſiderium remunerationum habent amplius in eo partem . Non amatur amplius Deus propter meritum , neque propter perfectionem , neque propter felicitatem in eo amando inveniendam . II. In ſtatu vitæ contemplativæ , ſeù unitivæ amittitur omne motivum intereſſatum timoris , & ſpei . III. Id quod eſt eſſentiale in directione animæ eſt non aliud facere , quam ſequi pedentim gratiam cum infinita patientia , præcautione , & ſubtilitate . Oportet ſe intra hos limites continere, ut ſinatur Deus agere , & nunquam ad purum amorem ducere , niſi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire Cor huic verbo, quod adeò durum eſt animabus adhuc ſibimet affixis , & adeò poteſt illas ſcandalizare , aut in perturbationem coniicere . IV. In ſtatu Sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius deſideria voluntaria , & deliberata propter ſuum intereſſe , exceptis iis occaſionibus , in quibus toti ſuæ gratiæ fideliter non cooperatur . V. In eodem ſtatu ſanctæ indifferentiæ nihil nobis , omnia Deo volumus . Nihil volumus , ut ſimus perfecti , & beati propter intereſſe proprium , ſed omnem perfectionem , ac beatitudinem volumus , im quantum Deo placet efficere , ut velimus res

iſtat

iſtas impreſſione ſuæ gratiæ. VI. In hoc ſanctæ indifferentiæ ſtatu nolumus amplius ſalutem, ut ſalutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem noſtrorum meritorum, ut noſtrum intereſſe omnium maximum; ſed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipſe vult, quam nos vult velle propter ipſum. VII. Derelictio non eſt niſi abnegatio, ſeu ſui ipſius renunciatio, quam Ieſus Chriſtus à nobis in Evangelio requirit poſtquam externa omnia reliquerimus. Iſta noſtri ipſorum abnegatio non eſt, niſi quoad intereſſe proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, ſeu ſui ipſius derelictio exerceri debet, ſunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei oſtendendo perfugium, neque ullam ſpem quoad ſuum intereſſe proprium, etiam æternum. VIII. Omnia Sacrificia, quæ fieri ſolent ab Animabus quam maximè diſintereſſatis circa earum æternam beatitudinem ſunt conditionalia. Sed hoc Sacrificium non poteſt eſſe abſolutum in ſtatu ordinario. In uno extremarum probationum caſu hoc Sacrificium fit aliquo modo abſolutum. IX. In extremis probationibus poteſt animæ invincibiliter perſuaſum eſſe perſuaſione reflexa, quæ non eſt intimus conſcientiæ fundus ſe juſtè reprobatam eſſe à Deo. X. Tunc anima diviſa à ſemetipſa expirat cum

Chri-

Chriſto in Cruce dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me. In hac involuntaria impreſſione deſperationis conficit Sacrificium abſolutum ſui intereſſe proprii quoad æternitatem. XI. In hoc ſtatu anima amittit omnem ſpem ſui proprii intereſſe, ſed nunquam amittit in parte ſuperiori, ideſt in ſuis actibus directis, & intimis ſpem perfectam, quæ eſt deſiderium diſintereſſatum promiſſionum. XII. Director tunc poteſt huic animæ permittere, ut ſimpliciter acquieſcat jacturæ ſui proprii intereſſe, & juſtæ condemnationi, quam ſibi à Deo indictam credit. XIII. Inferior Chriſti pars in Cruce non communicavit Superiori ſuas involuntarias perturbationes. XIIII. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam ſeparatio partis ſuperioirs animæ ab inferiori. In iſta ſeparatione actus partis inferioris manant ex omninò cæca, & involuntaria perturbatione; Nam totum quod eſt voluntarium, & intellectuale, eſt partis ſuperioris. XV. Meditatio conſtat diſcurſivis actibus, qui à ſe invicem facilè diſtinguuntur. Iſta compoſitio actuum diſcurſivorum, & reflexorum eſt propria exercitio amoris intereſſati. XVI. Datur ſtatus contemplationis adeò ſublimis, adeòque perfectæ, ut fiat habitualis, itaut quoties anima actu orat, ſua oratio ſit contemplativa, non diſcurſiva. Tunc non amplius

 in-

Digitized by Google

indiget redire ad meditationem, ejuſque actus methodicos. XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu diſtincto, ſenſibili, & reflexo Ieſu Chriſti duobus temporibus diverſis. Primò; in fervore naſcente earum contemplationis. Secundò, Anima amittit intuitum Ieſu Chriſti in extremis probationibus. XVIII. In ſtatu paſſivo Exercentur omnes virtutes diſtinctæ, non cogitando quòd ſint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor Zelotypus ſimul efficit, nè quis amplius ſibi virtutem velit, nec unquam ſit adeò virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non eſt. XIX. Poteſt dici in hoc ſenſu, quod anima paſſiva, & diſintereſſata nec ipſum amorem vult amplius, quatenus eſt ſua perfectio, & ſua felicitas, ſed ſolum quatenus eſt id, quod Deus à nobis vult. XX. In confitendo debent animæ transformatæ ſua peccata deteſtari, & condemnare ſe, & deſiderare remiſſionem ſuorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, ſed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter ſuam gloriam. XXI. Sancti Myſtici excluſerunt à ſtatu animarum transformatarum exercitationes virtutum. XXII. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) *eſſet pura, & ſimplex perfectio Evangelica in univerſa traditione deſignata,*

tu,

ta, antiqui Paſtores non proponebant paſſim multitudini juſtorum, niſi exercitia amoris intereſſati eorum gratiæ proportionata. XXIII. Purus amor ipſe ſolus conſtituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii ſunt. Non intendimus tamen per expreſſam propoſitionum hujuſmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præſentes literæ omnibus faciliùs innoteſcant, nec quiſquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, ac Cancellariæ Apoſtolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Curſoribus noſtris, ut moris eſt, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; itàut ſic publicatæ omnes, & ſingulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac ſi unicuique illorum perſonaliter notificatæ, & intimatæ fuiſſent: Utque ipſarum præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, ea-

dem prorſus fides tam judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipſis præſentibus haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die xij. Martii MDCXCIX. Pontificatus Noſtri anno octavo.

I. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI 1699. Indictione ſeptima, die verò 13. Menſis Martii, Pontificatus autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii *Divina Providentia Papæ* XII. *anno ejus octavo, ſupradictum Breve affixum, & publicatum fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Magnæ Curiæ Innocentianæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſſimi D. N. Papæ Curſorem.*

Sebaſtianus Vaſellus Mag. Curſ.

EDIT-

Digitized by Google

EDITTO
Del S. Offizio.

Noi Alderano Veſcovo d'Oſtia Cybo; Palutio Veſcovo di Paleſtrina Altieri; Gaſparo del tit. di S. Maria in Traſtevere Carpegna; Franceſco del tit. di S. Matteo in Merulana Nerli; Girolamo del tit. di S. Silveſtro in Capite Caſanate; Galeazzo del tit. di SS. Quirico, e Giulitta Mareſcotti; Fabritio del tit. di S. Griſogono Spada; Giuſeppe del tit. di S. Balbina de Aguirre; Bandino del tit. di S. Pancratio Panciatichi; e Pietro de' SS. Lorenzo, e Damaſo Ottobono Diacono per la miſericordia di Dio della Santa Romana Chieſa Cardinali in tutta la Republica Chriſtiana contro l'heretica pravità Generali Inquiſitori, dalla S. Sede Apoſtolica ſpecialmente deputati.

ESſendo à Noi per la continua eſperienza manifeſto, che molti per malizia, altri per inobedienza, & altri per ignoranza, non ſodisfano all'obligo,

che hanno di denunziare al S. Offizio li delitti ſpettanti ad eſſo, e che perciò ſuccedono grandiſſimi inconvenienti, & errori, non ſolamente contro i buoni, e Chriſtiani coſtumi, mà ancora contra la Fede Cattolica. Noi per tanto, à quali ſpecialmente deve eſſere à cuore la gloria di Dio, la conſervazione, & augumento della Fede Cattolica, e la ſalute dell'Anime; volendo provedere à tanto diſordine, con autorità Apoſtolica à Noi commeſſa, commandiamo in virtù di ſanta obedienza, e ſotto pena di ſcommunica di lata ſentenza, oltre l'altre pene preſcritte da' Sacri Canoni, Decreti, Conſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici, per tenore del preſente Editto à tutte, & à ciaſcuna perſona di qualunque ſtato, grado, e condizione, ò dignità, così Eccleſiaſtica, come Secolare, che frà il termine di un Meſe, dieci de' quali per il primo, dieci per il ſecondo, & dieci per il terzo termine peremptorio, ſi debbano rivelare, e giuridicamente notificare al S. Offizio, ò vero à gli Ordinarii, tutti, e ciaſcuno di quelli, de' quali ſappiano, ò abbiano avuto, o averanno notizia.

Che ſiano Eretici, ò ſoſpetti, o diffamati d'Ereſia, ò credenti, ò fautori, ò ricettatori, ò defenſori loro, ò abbiano

biano aderito, ò aderiſcono a' Riti de Giudei, ò Maumettani, ò de' Gentili, ò abbiano apoſtato dalla Santa Fede Chriſtiana.

Che abbiano fatti, ò faccino atti da' quali ſi poſſa argumentare patto eſpreſſo, ò tacito col Demonio, eſſercitando incanti, magie, ſortilegii porgendovi ſuffumigii, incenſi, per trovar Teſori, & altri intenti, chiedendo da lui riſpoſte, & invocandolo, & à queſt' effetto promettergli obedienza, e conſacrargli pentaculi, libri, ſpade, ſpecchi, ò altre coſe; nelle quali intervenga il nome, & opera ſua.

Che ſi ſiano ingeriti, ò ingeriſcono in far eſperimenti di Negromanzia, ò di qualſiſia altra ſorte di Magia, con entrare ne' circoli, far l'eſperimento della Caraffa, del Crivello, per trovar i medeſimi Teſori, coſe naſcoſte, rubbate, ò perdute, e fare altre ſimili, e ſuperſtizioſe azzioni ad altri fini, maſſime con abuſo de' Sacramenti, ò di coſe ſacre, o benedette.

Che ſenza licenza dovuta ritenghino ſcritti, che contenghino Ereſie, ò libri d'Eretici, che trattino ex profeſſo di Religione, o che gli abbino letti, ò tenuti, ò ſtampati, ò fatti ſtampare, ò li leggano, tengano, ſtampano, fanno

ſtampare, introducano, o difendino ſotto qualſivoglia preteſto, ò colore.

Che abbiano libri di Negromanzia, Magia, ò continenti incanteſimi, ſortilegii, e ſimili ſuperſtizioni, maſſime con abuſo di coſe ſacre.

Che contro il Voto ſolenne fatto nella Profeſſione in qualſiuoglia Religione approvata, ò dopo haver preſo l'Ordine ſacro abbia contratto, ò contraha Matrimonio.

Che vivendo la prima Moglie pigli la ſeconda, ò vivendo il primo Marito pigli il ſecondo.

Che contro i Decreti, e Coſtituzioni Apoſtoliche abbino abuſato, ò abuſino il Sacramento della Penitenza, ſervendoſi della Confeſſione, e Cofeſſionario à fini dishoneſti, ſollecitando in eſſi i Penitenti ad turpia, & avendo con eſſi diſcorſi di coſe illecite, e non convenienti al fine, per il quale è ſtato inſtituito.

Che abbiano proferito, ò proferiſcono beſtemmie ereticali contro Dio, la Beatiſſima Vergine, e Santi, ò procedino à qualche atto di offeſa, ò diſprezzo contro l'imagini, ò figure rappreſentanti il medeſimo.

Che abbiano tenute, ò tenghino occulte conventicole, ò radunanze in pregiu-

giudizio, diſprezzo, ò contro la Religione.

Che abbiano indotto qualche Criſtiano ad abbracciare il Giudaiſmo, ò altra Setta contraria alla Fede Cattolica, ò impedito i Giudei, ò Turchi à battezzarſi,

Che non eſſendo ordinati Sacerdoti s'abbino con ſacrilego ardire uſurpato, ò ſi uſurpino di celebrar Meſſa, ancorche non abbiano proferito le parole della conſecrazione, o abbiano preſonto di miniſtrare il Sacramento della Penitenza a' Fedeli di Criſto, ancorche non ſi ſia venuto all'atto dell'aſſoluzione.

In oltre ſi dichiara; che quelli, i quali non denunciaranno, come ſi ordina col preſente Editto, non poſſono eſſere da alcuno aſſoluti, ſe non dal S. Offizio, dopo che averanno in eſſo giuridicamente rivelato i delinquenti, al che non poſſono ſodisfare con bollettini, ò lettere, ſenza nome, e cognome dell'Autore, ò altri modi incerti, de' quali non ſi tiene conto alcuno nel Santo Tribunale.

Si dichiara anche, che con la ſudetta eſpreſſione de' caſi di ſopra da Noi ſpecificati da rivelarſi, non ſi eſcludano gli altri caſi ſpettanti al S. Offizio,

che per altro ſono compreſi ne i Sacri Canoni, Conſtituzioni, e Bolle de' Sommi Pontefici; Nè meno col preſente Editto s'intenda derogato all'altre proviſioni Canoniche, Apoſtoliche, & à gl'altri Editti degli Ordinarii, & Inquiſitori.

Et à fine, che del preſente Editto non ſi poſſa pretendere ignoranza, commandiamo, che ſia affiſſo per i luoghi ſoliti di Roma, e ſi notifichi alli Veſcovi delle Città vicine à Roma, nelle quali non ſono Inquiſitori, acciò lo publichino, & ordinino, che li Parochi delle loro Dioceſi lo legghino ogn'anno la prima Domenica dell'Avvento, e la prima Domenica di Quareſima; il che parimente vogliamo, che ſi facci dalli Parochi, e Regolari di Roma nelle loro Chieſe in tempo, che ſi troverà in eſſe congregato maggior numero di Popolo, e poi farne attaccare alle porte delle loro Chieſe, e Sacreſtie di eſſe un'eſſemplare del medemo, per oſſervare quanto in eſſo ſi ordina. Dal Palazzo del Sant'Offizio queſto dì 31. Marzo 1694.

Joſeph Bartolus Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno

Anno à Nativitate D. N. IESU Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo quarto, Indictione ſecunda, die verò 31. Martii Pontificatus autem Sanctiſs. in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii Divina Providentia Papæ XII. anno tertio, ſupradictum Edictum affixum, & publica- fuit ad valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Perinum ejuſdem Sanctiſs. D. N. Papæ, & Sanctiſſimæ Inquiſitionis Curſorem.

Digitized by Google

LITTERÆ PROCESSUS SANCTISS. D. N. INNOCENTII PAPÆ XII.

Publicatæ die Cœnæ Domini

ANNO MDCXCIX.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad futuram rei memoriam.

PASTORALIS Romani Pontificis vigilantia, & ſollicitudo, cùm in omni Chriſtianæ Reipublicæ pace, & tranquillitate procuranda, pro ſui muneris officio aſſiduè verſatur, tùm potiſſimùm in Catholicæ Fidei, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conſervanda, maximè elucet. Nimirùm, ut Fideles Chriſti non ſint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris: ſed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque ſe in hujus vitæ ſocietate, & communione lædant, aut

inter

inter ſe alter alteri offenſionem præbeat : ſed potius in vinculo charitatis conjuncti , tamquam unius corporis membra ſub CHRISTO capite , ejuſq; in terris Vicario Romano Pontifice Beatiſſimi Petri ſucceſſore, à quo totius Eccleſiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem , atque ita divina gratia adjutrice , ſic præſentis vitæ quiete gaudeant , ut futura quoque beatitudine perfruantur . Ob quas ſanè cauſas Romani Pontifices Predeceſſores noſtri , hodierna die , quæ anniverſaria Dominicæ Cœnæ commemoratione ſolemnis eſt , ſpiritualem Eccleſiaſticæ diſciplinę gladium , & ſalutaria juſtitiæ arma per miniſterium Summi Apoſtolatus ad Dei gloriam , & animarum ſalutem ſolemniter exercere conſueverunt . Nos igitur , quibus nihil optabilius eſt , quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem , & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum , & ſolemnem hunc morem ſequentes .

1. Excommunicamus, & anathematizamus , ex parte Dei Omnipotentis Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri , & Pauli , ac Noſtra , quoſcumque Huſſitas, Vvichlephiſtas , Lutheranos , Zuinglianos , Calviniſtas ,

Ugo-

Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana Fide Apoſtatas, ac omnes, & ſingulos alios Hæreticos quocunque nomine cenſeantur, & cuiuſcunque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos cujuſcumque ſtatus, gradus, ſeù conditionis fuerint. Univerſitates verò, Collegia, & Capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes, necnon eos quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

3. Item excommunicamus, & anathe-

thematizamus omnes Piratas, Curſarios, & Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario, uſque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quocumcumque navibus, tempeſtate, ſeù in tranſuerſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquomodo naufragium paſſis, ſivè in ipſis navibus, ſivè ex eiſdem ejecta in Mari; vel in littore inventa, cujuſcunque generis bona, tàm in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cœteris cujuſcumque maris Regionibus, & littoribus ſurripuerint, itàut nec ob quodcumque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeù alium quemcumque prætextum excuſari poſſint.

5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in Terris ſuis nova Pedagia, ſeù Gabellas, præterquam in caſibus ſibi à jure, ſeù ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſis imponunt, vel augent, ſeù imponi, vel augeri prohibita exigunt.

6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios Litterarum

rum Apoſtolicarum, etiam in forma Brævis, ac ſupplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S.R.E. Vicecancellarios, ſeù gerentes vices eorum, aut de mandato ejuſdem Romani Pontificis ſignatarum, necnon falsò publicantes Litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò ſignantes ſupplicationes hujuſmodi ſub nomine Romani Pontificis, ſeù Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

7. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis, hoſtes, & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſive hujus Sanctæ Sedis ſententias expreſsè, & nominatim declaratos, deferunt, ſeù tranſmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipſo canape, quam alia quacumque materia, & ipſam materiam, aliaque hujuſmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipublicæ concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis ini-

Digitized by Google

inimicos, necnon Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illiſque ad id auxilium, conſilium, & favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, quibuſvis perſonis, Principibus, Rebuſpublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de hujuſmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seù invadentes eos, qui victualia, seù alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui, nè ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeù perturbant, ſeù hæc facientes defendunt per ſe, vel alios cujuſcumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatus, etiam ſi Pontificali, ſeù Regali, aut alia quavis Eccleſiaſtica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſua, vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent, necnon illos omnes, qui juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel noſtris Judicibus non haben-

habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia, contra morantes in eadem Curia, audent perpetrare.

10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeù deprædantes Romipetas, ſeù Peregrinos ad Urbem cauſa devotionis, ſeù peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & in his dantes auxilium, conſilium vel favorem.

11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S.R.E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeù Dominiis ejicientes: Nec non ea mandantes, vel rata habentes, ſeù præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas quaſcumque, vel Sæculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotio-

gotiorumque Geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, ſeù etiam Auditores, vel Judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeù quoquomodo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeù qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta hujuſmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quam Sæculares cujuſcumque dignitatis, qui prætendentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione Liter. Apoſt. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam juſtitiam concernentium: Necnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitorium, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum à Nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nunciis, Præſidentibus, Palatii noſtri, & Cam. Apoſt. Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curias ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, & ab

ea,

ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & retineri faciunt, quivè illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine exequutioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, ſuper hujuſmodi litterarum, & proceſſuum exequutione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, Notarios, Exequutores, & Subexequutores litterarum, citationum, monitorium, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex Civitatibus, Locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeù alios, publicè, vel occultè, quivè alias quibuſcunque perſonis in genere, vel in ſpecie, nè pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeù gratiis, vel litteris impetrandis ad Rom. Cur. accedant, aut recurſum habeant, ſeù gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeù impetratis utantur, directè, vel indirectè

pro-

prohibere, ſtatuere, ſeù mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeù Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præſumunt.

14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque, qui per ſe, vel alios, auctoritate propria, ac de facto quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apoſtolicarum prætextu beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris aliiſque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illorumve curſum, & audientiam, ac perſonas, Capitula, Conventus, Collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Iudices interponunt: Quivè partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum, eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, à cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtatutum, vel alias, compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeù executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt,

vel

vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum, ſeù etiam donec ipſi ad Nos informandos, ut dicunt, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Conſiliarii, Ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum ſæcularium, etiamſi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatarii, ſeù Vicarii fuerint.

15. Quivè ex eorum prætenſo officio; vel ad inſtantiam partis, aut aliorum quorumcumque, perſonas Eccleſiaſticas, Capitula, Conventus, Collegia; Ecclaſiarum quarumcumque coram ſe ad ſuum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Conſilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæſito colore: Necnon qui ſtatuta, Ordinationes, Conſtitutiones, Pragmaticas, ſeù quævis alia decreta in genere,

re, vel in ſpecie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam prætextu cujuſvis conſuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerint, unde libertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo reſtringitur, ſeu noſtris & dictæ Sedis, ac quarumcumque Eccleſiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expreſsè præjudicatur.

16. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Superiores & inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcumque Judices Eccleſiaſticos Ordinarios quomodolibet hac de cauſa directè, vel indirectè carcerando, vel moleſtando eorum agentes, Procuratores, familiares, necnon conſanguineos, & affines, aut alias impediunt, quominus ſua juriſdictione Eccleſiaſtica contra quoſcumque utantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt, ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque ſententias, & decreta, aut alias fori Eccleſiaſtici judici-

cium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & Delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, ſeù dant auxilium, conſilium, patrocinium, & favorem in eiſdem.

17. Quivè juriſdictiones, ſeù fructus, redditus, & proventus ad Nos, Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque Eccleſiaſticas perſonas ratione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſive Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expreſsa licentia ſequeſtrant.

18. Quivè collectas, decimas, talleas, præſtantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, ac eorum & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi abſque ſimili Rom. Pont. ſpeciali, & expreſſa licentia imponunt, & diverſis etiam exquiſitis modis exigunt, aut ſic impoſita, etiam à ſpontè dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec-

non

non qui per ſe, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem præſtare non verentur, cujuſcunque ſunt præeminentiæ, dignitatis, ordinis conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, ſeù Principe, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquomodo Præſidentes, Conſiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate inſigniti. Innovantes decreta ſuper his per Sacros Canônes, tàm in Lateranenſi, noviſſimè celebrato, quàm aliis Conciliis generalibus edita cum cenſuris, & pœnis in eis contentis.

19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcumque Magiſtratus, & Judices, Notarios, Scribas, Exequutores, Subexequutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa hujus S. Sedis Apoſtolicæ licentia, quique hujuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel alias

e illa

illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarii, Senatores, Præſidentes, Cancellarii, Vice-Cancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocunque titulo, vel colore, invadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint in totum, vel in partem Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ, & Corſicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium beati Petri in Thuſcia, Ducatum Spoletan. Comitatum Venayſinum, Sabinen. Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque Terras, & loca, ac Terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Civitateſque noſtras Bononiam, Cæſenam, Ariminum, Beneventum, Peruſium, Avenionem, Civitatem Caſtelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, & alias Civitates, Terras, & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubjecta: necnon ſupremam juriſdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto uſurpare, perturbare, retinere, & vexare

xare variijs modis præſumunt, necnon adhærentes, fautores, & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtantes.

Volentes præſentes noſtros Proceſsus, ac etiam, & quæcunque his litteris contenta, quouſque alii hujuſmodi Proceſſus à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore exiſtente fiant, aut publicentur durare, ſuoſque effectus omnino ſortiri.

Cæterùm à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo cautione præſtita, abſolvi poſſit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipſiſque Ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, & Locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujuſvis Concilij decre-

ta , verbo , litteris , aut alia quacunque conſcriptura in genere , vel in ſpecie conceſſorum , & innovatorum , aut concedendorum , & innovandorum.

Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione , & anathemate laqueatis , vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint , eos excommunicationis ſententia innodamus , grauius contra eos ſpiritualiter , & temporaliter , prout expedire noverimus proceſſuri.

Declarantes , ac proteſtantes quamcumque abſolutionem , etiam ſolemniter per Nos faciendam , prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos , niſi priùs à præmiſſis cum vero propoſito ulteriùs ſimilia non committendi , deſtiterint ; Ac quoad eos , qui contra eccleſiaſticam libertatem,ut præfertur , ſtatuta fecerint , niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas , & decreta hujuſmodi publicè revocaverint , & ex Archiviis , ſeu capitularibus locis , aut libris , in quibus annotata reperiuntur , deleri , & caſſari , ac Nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint , eos non comprehendere , nec eis aliter ſuffragari , quin etiam per hujuſmodi abſolutionem , aut

quoſ-

quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque juribus Sedis Apoſtolicæ, ac S. R. E. undecunque, & quandocunque quæſitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari poſſe, aut debere,

Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus alijs quibuſcumque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, vt præfertur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis à prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, in-

ta, verbo, litteris, aut alia quacunque ſcriptura in genere, vel in ſpecie conceſſorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Quod ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententia innodamus, grauius contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus proceſſuri.

Declarantes, ac proteſtantes quamcumque abſolutionem, etiam ſolemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos ſub præſentibus comprehenſos, niſi priùs à præmiſſis cum vero propoſito ulteriùs ſimilia non committendi, deſtiterint; Ac quoad eos, qui contra eccleſiaſticam libertatem, ut præfertur, ſtatuta fecerint, niſi priùs ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas, & decreta hujuſmodi publicè revocaverint, & ex Archiviis, ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & caſſari, ac Nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter ſuffragari, quin etiam per hujuſmodi abſolutionem, aut quoſ-

quoſcunque alios actus contrarios, tacitos, vel expreſſos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam noſtram, vel ſucceſſorum noſtrorum quantocunque tempore continuatam, in præmiſſis omnibus, & ſingulis, ac quibuſcunque juribus Sedis Apoſtolicæ, ac S. R. E. undecunque, & quandocunque quæſitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari poſſe, aut debere,

Non obſtantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſupradictis, vel eorum alicui, ſeu aliquibus alijs quibuſcumque ordinis, ſtatus, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamſi, vt præfertur Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis eccleſiaſtica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, ſeu locis à prædicta Sede, ex quavis cauſa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & ſub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibuſvis clauſulis, etiam derogatoriarum derogatoriis conceſſis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, in-

dultis hujuſmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem, nec non conſuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præſcriptionibus quantumcunque longiſſimis, & aliis quibuſlibet obſervantiis, ſcriptis, vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros Proceſſus ac ſententias, quominus includantur in eis ſe juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac ſi ad verbum, nihil penitùs omiſſo, insererentur, præſentibus pro expreſſis habentes penitùs tollimus, & omninò revocamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque.

Ut verò præſentes noſtri Proceſſus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, ſeu membranas Proceſſus ipſos continentes, valvis Baſilicæ S. Io: Lateranen. & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Proceſſus hujuſmodi concernunt, quòd ad ipſos non pervenerint, aut quod ipſos ignoraverint, nullam poſſint excuſationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non ſit veriſimile, id remanere incognitum, quòd tàm patenter omnibus publicatur. Inſuper, ut Proceſſus ipſi, &

præ-

præſentes litteræ, ac omnia, & ſingula in eis contenta eò fiant notoria, quò in pleriſque Civitatibus, & locis fuerint publicata, univerſis, & ſingulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet conſtitutis, per hæc ſcripta committimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes litteras, poſtquam eas receperint, ſeu earum habuerint notitiam, ſemel in anno, aut ſi expedire viderint, etiam pluries in Eccleſiis ſuis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, ſolemniter publicent, & ad Chriſti fidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Cæterùm Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique locorum Ordinarii, & Eccleſiarum Prælati, necnon Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri ſeculares, & quorumvis Ordinum Regulares ad audiendas peccatorum confeſſiones, quavis auctoritate deputati, tranſumptum præſentium litterarum penès ſe habeant, eaſque diligenter legere, & percipere ſtudeant. Volentes earundem præſentium tranſumptis, etiam impreſſis Notarii publici manu ſubſcriptis, & ſigillo

Judicis Ordinarii Romanæ Curiæ, vel alterius perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem prorſus fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovazionis, innodationis, declarationis, proteſtationis, ſublationis, revocationis, commiſſionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis hoc autem attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo nono. ſextodecimo Kal. Maii, Pontificatus Noſtri Anno octavo.

B. Card. Prodatarius.
I.F.Card.Albanus.

Viſa de Curia C. A. Fabronus.

Loco ✠ Plumbi.

Philippus Porta.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Die

Digitized by Google

Die, Menſe, & Anno, quibus ſupra, ſupradictæ Litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Eccleſiæ S. Ioannis Lateranenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Cancellariæ Apoſtolicæ, Magnæ Curiæ Innocentianæ Montis Citatorii, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis per me Franciſcum Antonium Simoncellum SS. D. N. Papæ Curſ.

Sebaſtianus Vaſellus Mag. Curſ.

CONSTITUTIO

GREGORII PAPÆ XV.

Contra Sollicitantes in Confeſſionibus.

GREGORIUS PAPA VX.

Ad perpetuam rei memoriam.

UNiverſi Dominici gregis curam quamquam immeriti, Cœleſti diſpoſitione gerentes, ſedulò invigilare tenemur, ut ab omnibus pravis contagiis conſervetur immunis, multoque majori ſtudio providere; ut omnis peſtis ab jis avertatur, quibus alios ſanandi officium eſt commiſſum, nè quod Evangelica ſcripta nos admo-

admonent, ſale infatuato non ſit, in quo ſaliatur, & ad nihilum proſit ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab homnibus. Quoniam autem à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris quibuſdam in locis proviſum fuit ut impium, ac nefandum ſcelus, quod non ſolum inter Chriſtifideles non eſſe, ſed nec etiam nominari debet, procul ab jis arceatur, videlicet, ut aliquis Sacerdos ad Sacras audiendas Confeſſiones deputatus, Sacroſancto Pœnitentiæ Sacramento, ſollicitando pœnitentes ad turpia, abutatur, ac pro medicina venenum, pro pane aſpidem porrigat, & ex Cœleſti Medico infernalis veneficus, ex Patre Spirituali proditor execrabilis animarum reddatur; idcircò nos ea, quæ his pernicioſiſſimis Diaboli inſidiis arcendis certis locis ſalubriter conſtituta ſunt, ut nullubi deſiderentur, quantum ex alto conceditur, providendum duximus. Alias ſiquidem à fel. record. Pio Papa IV. Prædeceſſore noſtro emanarunt litteræ tenoris ſubſequentis, videlicet. Pius Papa IV. Venerab. Fratri Archiepiſcopo Hiſpalen. in Regnis Hiſpaniarum hæreticæ pravitatis Inquiſitori Generali. Cum ſicut nuper non ſine animi noſtri moleſtia, accepimus, diverſi Sacerdotes in Regnis Hiſpaniarum,

rum, atque etiam in eorum Civitatibus, & Diœceſibus curam animarum habentes, ſive eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confeſſionibus pœnitentium deputati in tantam proruperint iniquitatem, ut Sacramento Pœnitentiæ in actu audiendi confeſſiones abutantur, nec illi, & qui id inſtituit Domino Deo, & Salvatori noſtro IESU CHRISTO injuriam facere vereantur; mulieres, videlicet pœnitentes ad actus inhoneſtos, dum earum audiant confeſſiones, alliciendo, & provocando, ſeù allicere, & provocare tentando, & procurando, ac loco earum per Sacramentum hujuſmodi Creatori noſtro reconciliationis graviori peccatorum mole eas onerando, & in manibus Diaboli tradendo in divinæ Majeſtatis offenſam, & animarum perniciem, Chriſtifidelium ſcandalum non modicum. Nos in animum inducere nequeuntes, quod, qui de fide Catholica rectè ſentiunt Sacramentis in Eccleſia Dei inſtitutis abutantur, aut illis injuriam faciant: Fraternitati tuæ, de cujus eximia pietate, virtute, atque doctrina plurimum in Domino confidimus, per præſentes committimus, & mandamus quatenus per te, vel per alium, ſeù alios à te deputandum, ſeù deputandos contra omnes,

& ſingulos Sacerdotes dictorum Regnorum, ac illarum Civitatum, & Diœceſum de præmiſſis quomodolibet diffamatos, tàm ſæculares, quàm quorumvis etiam exemptorum, ac Sedi Apoſtolicę immediatè ſubjectorum Ordinum Regulares, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, & prę-eminentiæ exiſtant, tàm ſuper prę miſſis, quam ſuper Fide Catholica, & quid de ea ſentiant, diligenter inquiras, & juxtà facultatem tibi contra Hęreticos, aut de hæreſi quovis modo ſuſpectos, à Sede Apoctolica conceſſarum continentiam, & tenorem procedas, ac culpabiles repertos, juxtà exceſſuum ſuorum qualitates, prout juris fuerit, punias, eos etiamſi & prout de jure fuerit, faciendum, debita pręcedente degradatione ſęcularis Iudicis arbitrio puniendos tradendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon ordinum quorumlibet, quorum ipſi Sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis clauſulis, & de-
cretis

cretis etiam motu proprio, aut alias quomodolibet conceſſis, etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, eorum tenores pręſentibus pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romę apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die 16. Apr. M.D.LXI. Pontificatus noſtri anno ſecundo. Igitur, ut litterę prędictę perpetuis futuris temporibus, ubique locorum inviolabiliter obſerventur, motu proprio, & ex certa ſcientia, ac matura deliberatione noſtra, ac de conſilio venerabilium Fratrum noſtrorum S.R.E Cardinalium contra hęreticam pravitatem Generalium Inquiſitorum pręinſertas litteras, hujuſmodi, ac omnia, & ſingula in eis contenta Apoſtolica auctoritate tenore pręſentium approbamus, & confirmamus, illiſque omnibus, & ſingulis inviolabilis Apoſtolicę firmitatis robur adjicimus, illaſque non ſolùm in prędictis Regnis Hiſpaniarum, ſed in quibuſvis Chriſtiani Orbis partibus firmiter, & inviolabiliter obſervari pręcipimus, & mandamus, ac pręterea, ne in futurum de pœna his delinquentibus imponenda, & de modo contra eoſdem procedendi ab aliquo dubitari

Digitized by Google

bitari poſſit , ſtatuimus , decernimus , & declaramus , quod omnes, & ſinguli Sacerdotes , tam ſęculares, quam quorumvis , & quomodolibet exemptorum , ac Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjectorum ordinum inſtitutorum , Societatum , & Congregationum Regulares , cujuſcumque dignitatis , & pręeminentiæ , aut quovis privilegio muniti exiſtant , qui perſonas , quęcunque illę ſint, ad inhoneſta , ſive inter ſe , ſivè cum aliis quomodolibet perpetranda , in actu Sacramentalis Confeſſionis , ſive ante , vel poſt immediatè, ſeù occaſione , vel prętextu confeſſionis hujuſmodi, etiam ipſa confeſſione non ſequuta , ſivè extra occaſionem confeſſionis in Confeſſionario , aut in loco quocunque , ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur , ſeu ad confeſſionem audiendam electo , ſimulantes ibidem confeſſiones audire , ſollicitare , vel provocare tentaverint , aut cum eis illicitos , & inhoneſtos ſermones , ſive tractatus habuerint , in Officio Sanctę Inquiſitionis ſeveriſſimè, ut infra puniantur : Et prętereà omnes hęreticę pravitatis Inquiſitores , & locorum Ordinarios omnium Regnorum , Provinciarum , Civitatum , Dominiorum , & locorum univerſi Orbis Chriſtiani in ſuis quemque Diœceſibus , &

Ter-

Territoriis, per has noſtras litteras, etiam privativè quoad omnes alios, ſpecialiter, ac perpetuò Iudices delegamus, ut ſuper his contra prędictos ſimul, vel ſeparatim in omnibus, prout in cauſis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Officii Inquiſitionis hujuſmodi conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant, & quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus culpabiles repererint, in eos pro criminũ qualitate, & circumſtantiis, ſuſpen. ab exequutione ordinis, privationis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuę inhabilitatis ad illa, necnon vocis activę, & paſſivę, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, & carceres, etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernanr, eos quoque ſi pro delicti enormitate graviores pęnas meruerint, debita pręcedente degradatione Curię ſęculari puniendos tradant. Dantes etiam facultatem Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus Inquiſitoribus, ne delictum tam enorme, & Eccleſię Dei tam perniciosum remaneat ob probationum defectum impunitum, cùm difficilis ſit probationis, teſtibus, etiam ſingularibus, concurren-

tibus

tibus preſumptionibus, indiciis, & aliis adminiculis delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curię ſęculari, ut prefertur reum tradendum eſſe pronunciandi. Non obſtan. omnibus, quę dictus predeceſſor in ſuis litteris prędictis voluit non obſtare, cœteriſquę contrariis quibuſcumque, mandantes omnibus Confeſſariis, ut ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſollicitatos, moneant de obligatione denunciandi ſollicitantes, ſeù, ut pręfertur, tractantes Inquiſitoribus, ſeù locorum Ordinariis prędictis, quod ſi officium prętermiſerint, vel pœnitentes docuerint non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeù tractantes, ut ſupra, jidem locorum Ordinarii, & Inquiſitores illos pro modo culpę punire non negligant. Volumus autem, ut pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra ubique habeatur, quę pręſentibus haberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, quodque eędem pręſentes litterę, ſeù illarum exempla ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie

Campi

Campi Florę affixę omnes ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris; die 30. Auguſti 1622. Pontificatus Noſtri anno ſecundo.

S. Card. S. Suſannę.

Anno à Nativitate D.N. Ieſu Chriſti milleſimo, ſexcenteſimo, vigeſimo ſecundo Indictione quinta, die verò prima Menſis Septembris, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris D.N. Gregorii divinæ Providentiâ PP.XV. anno ejus ſecundo, retroſcripta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum S.Ioannis Lateran. Principis Apoſtolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ, ut moris eſt, per me Brandimartem Latinum Apoſtolicum Curſorem.

Octavius Spada Mag. Curſ.

CASUS
Summo Pontifici intra Italiam reſervati.

1. Violatio clauſuræ Monialium ad malum finem.

2. Injicientium violentas manus in Clericos.

3. Si-

3. Simonia realis ſcienter contracta.

4. Confidentia Beneficialis.

5. Provocantium, & pugnantium in duello, juxta Concilium Tridentinum ex Conſtitut. Gregorii XIII.

6. Violatio immunitatis Eccleſiaſticæ circa confugientes ad Eccleſias.

DE IMMUNITATE

Circa confugientes ad Eccleſias.

1. GRegorius XIV. in quadam Conſtitutione, quæ incipit. *Cùm aliàs nonnulli, &c.* ſtatuit, ut omnes delinquentes, qui confugiunt ad Eccleſias, gaudeant immunitate exceptis caſibus expreſſis §. 3. cujus tenor eſt hujuſmodi.

2. Ut Laicis ad Eccleſias, locaque ſacra, & religioſa prædicta confugientibus ſi fuerint publici Latrones, viarumque Graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur.

3. Aut depopulatores agrorum.

4. Quivè homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumque Cœmeteriis committere non verentur.

5. Aut

Digitized by Google

5. Aut qui proditoriè Proximum ſuum occiderit.

6. Aut Aſſaſſini.

7. Vel hæreſis rei.

8. Aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis, eis immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragatur.

9. In aliis caſibus delinquentes confugientes ad Eccleſias gaudent immunitate: ſi qui verò contra hanc Conſtitutionem læſerint immunitatem Eccleſiaſticam, erit caſus reſervatus Papæ.

SANCTISS. D. N. CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ X.

Conſtitutio, in qua Regularium privilegia quoad prædicationem Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem declaratur.

SUperna &c. Regulares, qui in Eccleſiis ſui Ordinis prædicare voluerint teneri ab Epiſcopo Diœceſano benedictionem petere, prædicare tamen poſſe, quamvis illam non obtinuerunt. Quòd ſi Epiſcopus benedictionem nedum

dum non conceſſerit, ſed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Eccleſiis licere Regularibus prædicare, eoſque contravenientes ab illo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato cenſuris, aliiſque pœnis Eccleſiaſticis in vim Conſtitutionis fel. rec. Gregorii XV. prædeceſſoris noſtri incipientis. *Inſcrutabili Dei providentia*, coerceri, & puniri poſſe, Epiſcopum tamen abſque juſta, atque rationabili cauſa contradicere non debere, & hujuſmodi benedictionem teneri etiam Regulares petere ſi in quibuſcumque Oratoriis ſui ordinis ſermonem coram Populo, vel in Eccleſiis, vel ad crates Monaſteriorum Sanctimonialium eorum juriſdictioni ſubjectarum, licet clauſis januis, & nullus ſecularis ibi interſit, habere voluerint. Poſſe autem Epiſcopum licentiam conceſſurum Regularibus in Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab Univerſitatibus, aut à Magiſtratibus laïcis nominatos, etiamſi Epiſcopi Anteceſſores per tempus immemorabile hanc licentiam abſque examine concedere conſueverint, quoad doctrinam examinare, ſi ita ipſius arbitrio, quod moderatum, & diſcretum eſſe debet, viſum fuerit, & licentiam prædicandi ſemel iiſdem conceſſam

ceſſam ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes ſuſpendere, non poſſe tamen Epiſcopum generatim prohibere Regularibus, qui in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicent.

Ad hæc Regulares ab Epiſcopo ad Confeſſiones ſæcularium in ſua Diœceſi audiendas approbatos non poſſe in alia Diœceſi eas abſque Epiſcopi Diœceſani approbatione audire, quamvis pœnitentes ſubditi ſint ejus Epiſcopi, à quo ipſi Religioſi jam fuerunt approbati, & generaliter ab Epiſcopo ad perſonarum ſęcularium confeſſiones audiendas nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubjectarum, ſed egere, quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione, atque approbatos pro audiendis Confeſſionibus Monialium unius Monaſterii, minimè poſſe audire Confeſſiones Monialium alterius Monaſterii. Itidem Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium Confeſſiones pro una vice audienda, haud poſſe expleta deputatione in vim approbationis hujuſmodi, illarum Confeſſiones audire, ſed toties ab Epiſcopo eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contigerit. Cœterum in Mona-

ſteriis

ſteriis, ac etiam Collegiis ubi juxtà Regularia inſtituta vivitur, poſſe tam Prælatos Regulares, quam Confeſſores Regularium eorumdem Monaſteriorum, ſeù Collegiorum audire confeſſiones illorum ſæculurium, qui inibi ſunt verè de familia, & continui Commenſales: non autem illorum, qui tantum ipſis deſerviunt. Illos autem Religioſos, qui ad confeſſionem audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopis quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporum, certorumque locorum, aut generis perſonarum in Diœceſi propria admittendos. Quoad cæteros verò, qui non adeo idonei reperiuntur, ſi petierint ſe admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinariis magis expedire videbitur probare, & admittere. Semel autem ſimpliciter approbatos poſſe in Diœceſi Epiſcopi approbantis, quovis anni tempore etiam Paſchali, & quorumcumque, etiam infirmorum confeſſiones audire, abſque ulla Parochorum, vel ipſius Epiſcopi licentia. De qua tamen Confeſſione teneri dictos Religioſos eorundem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere, & hoc poſſe illis ab Epiſcopo ſub pœna ſuſpenſionis à facultate audiendi Con-

Confeſſiones pręcipi, ſufficere tamen ut certior ratio hujuſmodi fiat ſaltem per ſcripturam apud ipſum infirmum relinquendam.

Et eos, qui dictis Religioſis ſimpliciter approbatis Paſchali tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque ſexus*, quoad Confeſſionem dumtaxat ſatisfeciſſe cenſendos. Regulares verò ad ejuſmodi Confeſſiones audiendas prævio examine ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab ipſomet Epiſcopo, ſecus autem ſi ab ejus Vicario, aut ab Anteceſſoribus Epiſcopis, approbatos, non poſſe ab eodem, qui ſic approbavit iterum examinari, aut ab eiſdem Confeſſionibus audiendis ſuſpendi, ſeù licentias ipſis conceſſas revocari, niſi nova ſuperveniente cauſa, quæ ipſas Confeſſiones concernat, de qua tamen haud neceſſarium eſſe ut in actis conſtet, nec eam teneri Epiſcopum ipſis Regularibus ſignificare, ſed Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, ubi eam aperiri poſtulaverit. Porrò ſi Regulares cum ſcandalo, aut alias inhoneſtè vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Epiſcopi judicio videantur à Confeſſionibus ſuſpendendi, in quo ipſius Epiſcopi conſcientiam oneratam eſſe volu-

volumus, cum præcipua Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas ſit vitæ integritas, ac morum honeſtas, utique eam cauſam ad Confeſſionis miniſterium pertinere, ac proinde nihil obſtare, quo minus ob eam poſſit Epiſcopus Regulares à ſemetipſo approbatos ſuſpendere, aut repellere à Cõfeſſionibus audiendis. Attamen Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus adimi ab Epiſcopo inconſulta Sede Apoſtolica nullatenus poſſe. Ex facultatibus per Mare magnum, aliavè privilegia Regularibus cujuſcumque Ordinis, inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu, conceſſis factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt Sacrum Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde Apoſtolicis etiam decretis ſublata, atque extincta, ſi quæ habebant, abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis.

Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis non ideò à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere, poſſe autem Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in

in qua eſt approbatus confluentes ex alia Diœceſi à peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa ubi idem Confeſſor eſt approbatus abſolvere, niſi eoſdem Pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe. Vigore ſupradictorum privilegiorum nequaquam licere Regularibus etiam ſatisfacta parte abſolvere Pœnitentes à cenſuris, quoad externum, & judiciale forum, & abſolutos ab eis in foro Pęnitentiali utique non cenſeri abſolutos in exteriori judicio, & contentioſo. Quin immò cenſuris Eccleſiaſticis irretitos, & denunciatos ab Epiſcopis cogi poſſe gerere ſe pro talibus, etiamſi à Regularibus fuerint abſoluti. Quoties exhibitis aliquibus Regularium Apoſtolicis Privilegiis coram Epiſcopo, ab eo judicetur ipſa non ſuffragari caſui, de quo agitur ſi dictorum privilegiorum verba obſcura ſint, & ambigue non eſſe ad Metropolitanum provocandum, ſed cum ejus ſit interpretari, cujus eſt condere, dictorum privilegiorum interpretationem Sedis Apoſtolicæ judicio prout alias conſtitutione Prędeceſſoris noſtri &c. fel. rec. Clementis IV. ſtatutum fuit, eſſe exequendum.

f Non

Non obſtantibus quibuſcumque &c. etiam inſolitis caſibus.

Datum Romæ anno 1670. undecimo Kalendas Iulii Pontificatus noſtri anno primo.

Nota: In propoſitionibus damnatis ab Alexandro VII. propoſitio duodecima videbatur limitata ad ſolos Mendicantes. Ità enim habet propoſitio; Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus Epiſcopis reſervatis, non obtenta ad id ab Epiſcopo facultate. At Clemens X. magis ample loquitur, dum abſolutè ſic pronunciat. Ex facultatibus per Mare magnum, aliavè privilegia cuiuſcunque Ordinis, inſtituti, aut Societatis etiam Jeſu conceſſis, facta eis non eſt poteſtas abſolvendi in caſibus ab Epiſcopo ſibi reſervatis.

DECLARATIO

Sac. Congregationis Concilii Tricentini a SS. D. N. Clemente Papa IX. approbata ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium.

DIe 11. Maji 1669 Sac. Congregatio Eminentiſſimiorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, habita notitia, quod nonnulli

nulli Regulares abſque licentia crates Monaſteriorum Monialium adire, & frequentare non dubitent, prætendentes non eſſe interdictum per breve tempus, etiam uſque ad quadrantem horæ cum dimidio, quod horologio arenario aliquando metiuntur, Moniales, aliaſquè perſonas intrà Clauſuram exiſtentes alloqui; & hanc opinionem tanquàm tutam affirment, diſſeminent, & etiam forſan in ſcriptis evulgent, proprias graviter illaqueantes conſcientias, & ſcandala confoventes, ad hujuſmodi pernicioſos errores eliminandos opinionem prædictam improbans, rejiciens, & damnans, declaravit, Regulares cujuſcunque Ordinis, Militiæ, Societatis, Congregationis, & Inſtituti, etiam de quibus ſpecialis mentio foret habenda, qui ad Monaſteria Monialium, quamvis ab Ordinarii Juriſdictione quomodolibet exempta, & etiam ipſis Regularibus ſubjecta, vel alias ſpeciali mentione digna, abſque legitima facultate accedunt colloquendo, etiam per quodcunque modicum tempus, cum Monialibus, aut aliis intrà Clauſuram degentibus, peccare mortaliter, eoſque ſub excommunicationis, & privationis vocis activæ, & paſſivæ,

aliiſquè contrà Regulares accedentes ſine licentia ad Monaſteria Monialium ſtatutis pœnis poſſe ab Ordinario, tanquàm Sedis Apoſtolicæ Delegato carcerari.

Et die 7. Junii ejuſdem anni, facta relatione SS. D. N. Sanctitas Sua præſentem Declarationem appprobavit, ac Typis dari, ſervariquè juſſit.

A. Cardinalis Celſus Præfæctus.
Loco ✠ Sigilli.

S. Brancaccius Archiep. Adrianop. Secretarius.

D U B I A

Super Collocutione Regularium cum Monialibus.

EDita lege ſtatim illam eludere malitia excogitat. Non ità pridem emanavit generale Decretum, arctiſſimè prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando jam ſuper eo variæ interpretationes confingi cœperunt, aliæquè nunc Bergomi ſuboriuntur; prò quarum reſolutione ſupplicant Confeſſarii Monialium, quærendo.

An

1. An Regularibus miſſis ad Crates Monialium pro munere prædicationis obeundo, prohibitum ſit ſub peccato mortali, cenſuris, & pœnis, &c. immediatè poſt cum ipſis Monialibus, abſque expreſſa licentia ad colloquendum, immiſcere ſermones cum quæſtionibus, vel dubiis ſpiritualibus, aut materiis ipſius Concionis.

2. An talis prohibitio intelligatur, tàm de collocutione cum aliquibus Monialibus, quàm cum una tantum (omnibus tamen aliis audientibus) immediatè poſt Concionem.

Die 21. Maii 1678.

Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpetum, ad utrumque reſpondit affirmativè.

DECRETUM

Sacræ Congregationis Cardinalium Sac. Concilii Tridentini Interpretum,

Circà Communionem Quotidianam.

CUM ad aures SS. D. N. fide dignorum Teſtimonio pervenerit in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis, etiam in Feria

Digitized by Google

ſexta Paraſcevæ, & ſimul affirmari, eamdem quotidianam Communionem prę-ceptam eſſe à jure divino, quin etiam in illius adminiſtratione, aliquos abuſus inolviſſe, videlicet, quod aliqui, non in Eccleſia, ſed in privatis Oratoriis, & domi, imo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argentea theca incluſam, in crumena, aut ſecretò illis deferunt Sacerdotes ſæculares, aut Regulares, aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cum autem hęc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit Sacræ Congregationi Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, eadem Sacra Congregatio, pręvia matura diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententia ita cenſuit; Et ſi frequens, quotidianuſque Sacroſanctę Euchariſtię uſus à SS. Patribus fuerit ſemper in Eccleſia probatus, nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi certos ſingulis Menſibus, aut hębdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit, ſed quaſi humanam infirmita-

tem

tem ſecum reputaret, nihil pręcipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit, optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis Fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent, idque non immeritò, multiplices enim ſunt conſcientiarum receſſus, varię ob negocia ſpiritus alienationes, multę è contra gratię, & Dei dona parvulis conceſſa, quę cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus, nihil certi de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui, & propterea quod negociatores ipſos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam acceſſus Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium judicio eſt relinquendus, qui ex conſcientiarum puritate, & frequentię fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negociatoribus, & Conjugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis pręſcribere debebunt. In Conjugatis autem hoc amplius animadvertant, cùm B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſeriò admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimę Euchariſtię reverentiam continentiæ vacandum, puriori-

que mente ad Cęleſtium epularum Communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut à frequenti, aut quotidiana Sacrę Communionis ſumptione unica pręcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, ſeù Confeſſarios ſibi decernendum putet, illudque omninò provideat, ut nemo à Sacro Convivio, ſeù frequenter ſeù quotidiè acceſſerit, repellatur, & nihilominus det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & pręparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet: Itidem Moniales quotidiè Sacram Communionem petentes, admonendę erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto pręſtitutis communicent; Si quę verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ità incaluerint, ut dignę frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur. Proderit etiam pręter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum Fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent)

acce-

Digitized by Google

accenderint, ſtatim de magna ad illud ſumendum pręparatione orationem habeant, generatimque oſtendant eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur, debere, ſivè Laici negociatores ſint, ſivè Conjugati, ſivè quicunque alii ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac divini judicii fortitudine diſcant Cœleſtem Menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri, & ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem pręparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Diœceſibus viget hujuſmodi devotio ergà Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſo adhibito prudentię, & judicii temperamento alere debebunt, & ab eorum officio poſtulari ſibi maximè perſuadebunt, nulli labori, aut diligentię parcendum, ut omnis irreverentia, & ſcandali ſuſpicio in veri, & Immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur, quod abundè continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, divina pręſtante gratia, tenentur, ſeq; Sacratiſſimo Pane frequentius reficere cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Do-

Digitized by Google

minum, qui ſe Fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cœleſti Regno ſe prҽmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam prҽparationem, & ſumptionem largiatur. Porrò Epiſcopi, & Parochi, ſeù Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure divino, doceant in Eccleſiis, ſeù Oratoriis privatis ex diſpenſatione, ſeù privilegio Pontificis de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecretò ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, quàm ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valeant, & ad eos, ſi ab Eccleſia deferatur publicè, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani, ſi verò ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in Feria ſexta Paraſcevæ Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur; Inſuper admoneant nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeù particulas, neque grandiores, ſed conſuetas, non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii, etiam Regula-

res,

Digitized by Google

res, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Opt. Max. rationem reddituros eſſe, neq; defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præſens decretum typis dari, ac publicari voluit; In quorum, &c. Datum Romæ 12. Februarii 1679.

F. Cardinalis Columna Præf.

S. Archiepiſcopus Brancaccius Epiſc. Viterbien. Secr.

Modo, che dovranno tenere i Curati per introdurre alla Santa Communione i Giovanetti, & iſtruirli nelle coſe neceſſarie di eſſa.

PErche ben ſpeſſo i Padri, e Madri di famiglia ſono traſcurati in fare, che i loro figli al tempo debito comincino a partecipare del dono ineſtimabile del Santiſſimo Sagramento dell'Eucariſtia,

Digitized by Google

riſtia, laſciato da Criſto Signor Noſtro alla Chieſa Santa Spoſa ſua, per bene, e ſalute de' Fedeli; onde anche avviene, che i medeſimi figli cadano nella traſgreſſione del Precetto dell'annua Communione; Per queſto ordiniamo, che ſi ricordino i Parochi, e Curati, che è debito loro, quando i Fanciulli ſono arrivati ad eſſer per l'età, e diſcrezione capaci di queſto Divin Teſoro, far sì, che incomincino a participarlo, & a queſto fine abbiano in nota i fanciulli, che ſono ſotto la loro Cura, & il tempo dell'età di ciaſcuno, ſe bene non ſi può determinare il tempo della capacità ſudetta, nella quale ſiano i fanciulli obligati a communicarſi, e deve ciò dipendere dal giudizio del diſcreto Confeſſore, e Curato, pare nondimeno, che queſto tempo ſia dalli dodeci ſino alli quattordeci anni, perche dentro a queſto tempo ſogliono arrivare a queſta capacità, ſe bene altri più preſto, altri più tardi.

Avanti di ammetterli a queſto Divino Cibo, li eſaminino delle coſe della Fede, quali ciaſcuno è obligato di ſapere, e credere, e ſi contengono nel Compendio della Dottrina Criſtiana, poi li ammaeſtrino di quello devono credere di queſto Santiſſimo Sagramento,

to,

to, e dell'eccellenza, e dignità di eſſo, per contenerſi in quello il vero corpo di Giesù Criſto Signor Noſtro, per virtù delle parole della Conſagrazione, e con il Corpo per concomitanza anche il Sangue, Anima, e Divinità del medeſimo Signore, che non meno riceve quello, che ſi communica anche ſotto la ſpecie del vino, come fà il Sacerdote, poiche ſotto l'una, e l'altra ſi contiene Criſto Signor Noſtro.

Inſegnino in oltre la preparazione, che ſi deve fare avanti di andare a communicarſi, per ricevere degnamente Signore sì Grande, cioè, che è neceſſario avere la coſcienza libera, e netta da ogni peccato mortale, e maſſime da quelli, che per la loro lordura maggiormente imbrattano l'anima, e diſpiacciono al medeſimo Signore, che ſono i peccati ſenſuali, e da quelli ancora, che ſono contrarii alla carità, che ſono gl'odii, e malevolenze, che però è neceſſario avanti di communicarſi purgare l'anima da tutti i peccati mortali, per mezzo della Confeſſione Sagramentale, perche altrimente ſi commette nuovo peccato di ſagrilegio; & anche quanto ſi può da' peccati veniali, perche quantunque queſti non impediſcono, come i mortali, il ricevere queſto Diviniſſimo

Sagra-

Digitized by Google

Sagramento, impediſcono nondimeno in parte il frutto di eſſo.

Inſegnino di poi, che per ricevere degnamente queſto Santiſſimo Sagramento, e con frutto ſpirituale dell'anima, devono avere retta intenzione di non andare a communicarſi per certa uſanza, nè ſolo per fare, come fanno gli altri, ò ſolo per non cadere nell'inoſſervanza del Precetto, ma ſolamente per accettare l'invito del medeſimo Criſto, che con tanta carità hà iſtituito queſto Divino Cibo, e ci invita ad eſſo, per così rammentare, e rappreſentare la ſua doloroſa Paſſione, e morte per unirci, & incorporarci a lui, e farci ſuoi per grazia, e per l'imitazione della vita, e virtù ſue una coſa medeſima con lui, per accenderci per mezzo di queſta unione del Divino Amore, a riccver forza di poter reſiſtere alle tentazioni, perdono de' peccati commeſſi, conſolazione, e fortezza nelle tribulazioni, & averſità, e per altri ſimili fini.

Dovranno ancora inſegnare, che doppo d'eſſerſi confeſſati [quando avranno imbrattata l'anima de' peccati mortali] devono per due ò trè giorni aſtenerſi da queſto Divino Cibo, per non ricevere il pane della vita, mentre ancor reſta nell'anima la puzza, e fe-

tore

tore della merte, & in queſto tempo devono ſodisfare, facendo la penitenza impoſtali dal Confeſſore, piangere col figlio Prodigo a' piedi del ſuo buon Padre i peccati commeſſi, & eccitare in in ſe timore, e riverenza di queſto Santiſſimo Sagramento, con la conſiderazione della grandezza, e Maeſtà di quello, che ſi riceve, e della propria indegnità, baſſezza, e viltà per la natura, e per la colpa; & all'incontro con fidanza, & Amore, conſiderando la liberalità, con la quale queſto Signore ſi offeriſce, e dona a' Peccatori, & il deſiderio, che hà di unirſi con l'anime, come Spoſo amantiſſimo di eſſe per arricchirle de' ſuoi teſori, e grazie, e da queſto anche eccitino in ſe fame, e deſiderio di queſto Celeſte Cibo, conſiderando il teſoro, che ſi riceve in eſſo, che è l'iſteſſo Dio, e li beni, che per quello ci ſi communicano, che ſono i meriti della ſua Paſſione, la purità dell'anime, la remiſſione de' peccati, abbondanza di grazia, & una ſtrettiſſima unione col medeſimo Dio; ma a fine, che poſſino ciò far meglio, gl'inſegnino in queſto tempo precedente la Sagra Communione a ſtare più ritirati dalle converſazioni, fuggire ogni occaſione di peccato anche veniale, avendo eſatta

cura

cura delle proprie azzioni, e cuſtodire i ſuoi ſentimenti, maſſime la viſta, udito, e lingua, & eſſere anche temperati nel mangiare. In oltre gl'inſegnino, che ottimo mezzo per diſporgli a ricevere degnamente la Santa Communione, è la divozione, e l'interceſſione della Beatiſſima Vergine.

Queſto deſiderio, e fame cagionata col timore, e riverenza, & amore ſudetti molto più ſi devono havere nello ſteſſo giorno della Santa Communione; e particolarmente da quelli, che incominciano a communicarſi, e molto più nell'atto medeſimo di ricevere il Santiſſimo Sagramento, al che non poco li ajuterà il leggere alcuni libri Spirituali, ò ſentirli leggere, & in queſti li potranno eſortare, che prendono il libro dell'Introduzzione alla vita devota di San Franceſco di Sales, qual'è à queſto propoſito neceſſariiſſima, e l'havere alcuna buona conſiderazione delle coſe ſudette, dal che anche naſcerà il communicarſi con riverenza, e decenza eſterna, tenendo gl'occhi baſſi, il volto modeſto, le mani ben compoſte, le ginocchia ambedue in terra, e le Donne col capo velato, con aprire nel ricevere la Particola moderatamente la bocca ricevendola ſopra della lingua poſta

non

Digitized by Google

non fuori delle labbra, ma al pari del labbro di ſotto, pigliando anche poi l'abluzione, che ſi ſuol dare di vino per lavare per riverenza la bocca.

Finalmente inſegnino, che doppo d'eſſerſi communicato, deve trattenerſi per qualche poco di tempo in orazione ringraziando queſta Maeſtà Infinita, che ſi è degnata venire al ſuo tugurio, abbracciandoſi col medeſimo Criſto, e la ſua Sacratiſſima Umanità già confitta per lui, e morta in Croce, & hora trionfante, e gloriaſo in Cielo, & alla deſtra dell'Eterno Padre, proponendogli i ſuoi biſogni, e neceſſità, e chiedendogli ajuto contro le tentazioni, e maſſime contro quelle, delle quali è più moleſtato, pregandolo, che lo faccia una coſa ſeco, ſi come hà promeſſo, lo riempia della ſua Divina grazia, l'accenda di carità, lo confermi nella Fede, lo ſtabiliſca nella ſperanza, e gli conceda grazia di ſpendere la ſua vita in ſuo ſanto ſervizio, & al fine di eſſo lo conduca alla Gloria.

IN-

INSTRUZZIONE
Di un gran Porporato
Per i Confeſſori.

DOvendo il Confeſſore per debito del ſuo offizio portare ſopra le ſpalle ſue i peccati del Popolo, & eſſer Medico Spirituale dell'anime, è però neceſſario, che in lui riſplendano principalmente la bontà della vita, e la ſcienza, affinche con queſta ſappia diſtinguere da peccato a peccato, e con quella ſi faccia riconoſcere così puro, e di virtù ripieno, che li penitenti habbiano maggiormente a confonderſi delle brutture de'loro peccati.

Se conoſcerà di ſtare in qualche peccato mortale, purgherà prima l'anima ſua con la Confeſſione, o con fare un' atto efficace di contrizione.

Se il Confeſſore ſarà Paroco, o Sacerdote ſecolare, ſi eſporrà nel Confeſſionario ſempre con la Cotta, e Stola, e ſe ſarà Regolare adoprerà l'habito, che è ſolito portare in Coro con la Stola.

Converrà ancora, che nel confeſſare oſſervi il luogo, & il tempo, non confeſſando alcuno, e maſſime Donne fuori di caſo di neceſſità, ſe non in Chieſa, nè prima lo ſpuntare confeſſar Donne,

e

e Fanciulli, nè doppo il tramontare del Sole, e quando gli converrà confeſſare Donne in Caſa per cauſa d'infermità, e d'altri ſimili accidenti, ſtia la porta della Camera totalmente aperta, acciò poſſa il Confeſſore eſſer veduto dalla gente di caſa, ma non inteſo.

Dovrà il Confeſſionario eſſer poſto in luogo patente della Chieſa, e vi ſia affiſſo dalla parte del Confeſſore il Sommario della Bolla in Cœna Domini, e li caſi riſervati all'Ordinario, e dalla parte del Penitente qualche divota imagine, per la cui viſta, e meditazione ſi punga.

Dovrà il Confeſſore ricevere il Penitente con faccia allegra, e doppo fattolo inginocchiare, e fattogli fare il ſegno della Croce, e per dar buon principio alla Confeſſione, ſarà bene, che il Penitente reciti il Confiteor da ſe ſteſſo, o inſieme col Confeſſore, quando la moltitudine de' Penitenti non ricercaſſe il contrario.

Domanderà primieramente, ſe hà fatto il dovuto eſame della coſcienza, & in caſo, che non l'abbia fatto, e non ſia preparato come conviene, dovrà ammonirlo con carità à farlo, e poi tornare a confeſſarſi, o pure quando conoſceſſe, che il Penitente non poteſſe

tor-

Digitized by Google

tornare, ſupplirà ajutandolo con interrogarlo, ſecondo che giudicherà più eſpediente per la ſalute del medeſimo Penitente.

Vedrà, ſe hà fatta la penitenza delle Confeſſioni paſſate, e ſe non l'avrà fatta potrà il Confeſſore, quando non ſi ricordi la qualità della penitenza, o non gli dia l'animo di farla, conſolarlo in commutargliela, ma però quando il Penitente poteſſe avere copia del Confeſſore, che l'impoſe, ſarebbe meglio conſigliarlo a domandare la commutazione a quel medeſimo.

Venendo alla Confeſſione de' peccati, avvertirà il Penitente a dire tutti quelli, de' quali ſi ricorda, & avendo biſogno d'eſſere interrogato, l'interrogherà il Confeſſore, conforme giudicherà convenirſi allo ſtato del Penitente, domandando perciò a ciaſcuno il ſuo eſercizio, e profeſſione, acciò occorrendo poſſa ajutarlo con interrogazioni intorno alli precetti del Decalogo, e della Chieſa, ſopra i peccati capitali, o altro, conforme giudicherà neceſſario, & il tutto faccia con tal prudenza, che nell' interrogarlo non inſegni quel, che non sà, maſſime ſe ſarà donna, o altra perſona ſemplice, e ſi sforzerà uſar parole, che non offen-

fendano l'orecchie del Penitente.

Se nell'udire la Confeſſione veniſſe in cognizione, che le Confeſſioni paſſate non fuſſero valide, o perche non ſono ſtate intiere, o perche non ſono ſtate fatte con propoſito fermo di confeſſare tutti li peccati commeſſi, o di ſodisfare, o per altro capo nulle, & invalide, ſarà all'hora peſo del Confeſſore il fargliele reiterare.

Domanderà al Penitente, ſe ſia incorſo in qualche ſcommunica, o in alcuno de'caſi riſervati all'Ordinario, da quali non potendo egli aſſolverlo, ſenza paſſare più oltre nella Confeſſione, lo rimetterà a chi ne tiene l'autorità, o pure anderà l'iſteſſo Confeſſore a procurargliela, purche non ſia il Penitente in pericolo di morte, nel qual caſo potrà ſempre aſſolverlo.

Non laſcierà mai di domandare il numero de'peccati, e ſe il Penitente non ſaprà dirlo preciſamente, gli comanderà, che dica quel numero, che penſa eſſere più appreſſo alla verità, ma ſe ſarà viſſuto in continuo ſtato di peccato mortale, come ſono i Concubinarii, le Meretrici, e ſimili, baſterà, che eſplichi, quanto tempo ſarà viſſuto in tale ſtato.

E' anche neceſſario domandargli le cir-

Digitized by Google

circoſtanze de'peccati, cioè quelle, che di veniale fanno il mortale, e che mutano ſpecie contenute in quel verſo, *quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*.

Si moſtrerà al Penitente di volto allegro, nè mentre aſcolta i peccati, darà ſegno alcuno di rigidezza, o ammirazione, accioche intimorito non taccia il reſto di eſſi, e forſi li più gravi, anzi lo compatiſca, e lo conſoli, non lo riprenda, ſe non nel fine, & all'hora con parole efficaci, e piene di ſanto zelo gli faccia conoſcere la bruttezza de'ſuoi peccatti, l'offeſa fatta a Dio ſuo Sommo Benefattore, & il pericolo, in cui ſi è poſto della dannazione eterna, accioche compunto abbia vero dolore de' ſuoi peccati, e concepiſca fermo propoſito di mai più commetterli, e così ſi renda capace dell'aſſoluzione.

Moſſo il Penitente dal dolore de' ſuoi peccati, potrà dargli la penitenza, la quale ſia, e ſodisfattoria delle colpe paſſate, e rimedio per l'avvenire, avverten do però, che non ſia tale, che per eſſa non poſſa venirſi da altri in cognizione del peccato commeſſo, e nell' imporla abbia il Confeſſore riguardo alla gravezza de'peccati, & alla qualità del penitente, come anche alla gran-

dez-

dezza della contrizione, e del dolore; e ſe a ſorte il Penitente moſtraſſe difficoltà in accettarla, perche forſe gli pareſſe troppo grave, glie la diminuiſca, e glie la commuti.

Imponendoſi penitenze di limoſine, o di Meſſe, non piglierà il Confeſſore il denaro, e ſe il Penitente dovrà fare reſtituzione alcuna a certa perſona, ne prenda pure il Confeſſore, ſe ne ſarà richieſto, la cura tacendo ſempre il nome di chi reſtituiſce, e ne procuri ricevuta da dare ad eſſo Penitente per maggiormente edificarlo, ma avendoſi a fare la reſtituzione a perſone incerte, ſarà bene che ſe n'aſtenga.

Dovrà il Confeſſore riprendere ſeveramente, & imporre gravi penitenze a Beſtemmiatori, & avverta inſieme il Penitente dell'obligo, che hà di denunciare quelli, che haverà udito beſtemmiare ereticalmente Dio, la B. Vergine, o li Santi, e non l'aſſolva, quando recuſi di denunciarli, ſe però non aveſſe qualche cauſa giuſta, e ragionevole, come ſe fuſſe Padre, Madre, Figlio, o Fratello, o pure dubitaſſe, che il denunciato veniſſe in cognizione della perſona, che l'aveſſe denunciato, e che temeſſe per ciò a ſe di qualche male, & in queſto il Confeſſore potrà rego-

go.

golarſi, conforme alle circoſtanze, & alla qualità delle perſone.

Sia intrepido in negare l'aſsoluzione a chi non è capace, o perche abbi qualche ſcommunica, o caſo riſervato, o perche non voglia laſciar l'occaſione proſſima del peccato mortale, quella cioè, la quale per ordinario, & il più delle volte cagiona la colpa mortale, come è il tenere in Caſa Donna, con la quale ſuol peccare mortalmente, o giuocare a giuoco, nel quale è ſolito beſtemmiare. E ſe altre volte aveſſe promeſſo ad altri Confeſſori di levare ſimile occaſione, e non l'aveſſe fatto, di che dovrà interrogarſi il Penitente, in queſto caſo ſi differiſca l'aſſoluzione, ſinche havrà levato l'occaſione del peccato; quando però non ſi poſſa togliere l'occaſione, e ſi vedano nel Penitente efficaci ſegni di penitenza, e di dolore, potrà aſſolverſi, valendoſi però di quei remedii, che preſervano da ſimili peccati, come di mai trovarſi ſolo con tal perſona, colla quale pecca, di fuggir le cattive prattiche, di confeſſarſi ſpeſſo, di eſaminare ogni giorno la ſua coſcienza, far qualche macerazione di carne, dire qualche orazione, o con altri modi, che il prudente Confeſſore ſaprà ſuggerirgli.

E per-

E perche nelle piaghe incancherite non giovano i medicamenti lenitivi, e leggieri, ſe non a fare il male più grande, e più contumace, & eſſendoſi ſperimentato, che ad alcuni non ſervono le private correzioni, gl'avvertimenti. e monizioni paterne, e divieti, anche giudizialmente intimati per cavarli dal peccato, e dall'abito di peccare, & eſſendo perciò neceſſario adoperare il ferro, e ſervirſi della autorità delle chiavi, ſappia il Confeſſore di non aſſolvere perſone, che vivono in ſtato di peccato attuale continuo carnale, come Concubinarii, o altri, ma ſia obligato dirgli, che la ſua facoltà non ſi eſtende tant' oltre, accioche per ſimile repulſa venga il Penitente ad apprendere la gravezza del peccato, & acciò il Confeſſore non venga ingannato dal Penitente, debbano i medeſimi Confeſſori interrogare ſpecialmẽte il Penitente del tẽpo, che perſevera in tale peccato, e delle Confeſſioni fatte ſenza il debito propoſito, e trovãdolo abituato di più di due anni con la circoſtanza di ſei confeſſioni fatte ſenza l'effetto di mutazione di vita, lo licenzii ſenza aſſoluzione, eſortandolo a mutar vita, aſſignandoli qualche tempo da ritornare.

Si negherà anche l' aſſoluzione a

quelli, che hanno a fare la reſtituzione, ſe non promettono di farla, ſia di robba, o di fama, e ſe avendo promeſſo altre volte di farla non l'hanno oſſervato, ſi differiſca l'aſſoluzione ſino all'intiera ſodisfazione.

Nè dovranno aſsolverſi quelli, che eſſendo pervenuti agl'anni della diſcrezione, non ſanno almeno quanto alla ſoſtanza gl'Articoli della Fede, i Commandamenti di Dio, e della Chieſa, l'Orazione Dominicale, la Salutazione Angelica, ſe però non ſaranno diſpoſti ad impararli quanto prima, avvertendo, che, ſe altre volte furono ammoniti da ſe, o da altri Confeſſori, e non hanno fatta la debita diligenza per imparargli, ſi differiſca l'aſſoluzione fino a tanto, che in qualche modo, conforme alla loro capacità, abbiano ſodisfatto a queſt'obligo. Parimente ſi negherà l'aſſoluzione a quelli Padri, e Madri di famiglia, che ſono negligenti in fare imparare le ſudette coſe a ſuoi figliuoli doppo di eſſere ſtati altre volte ammoniti.

Particolarmente è neceſſario, che qualſivoglia Confeſſore ſappia il tenore della Bolla di Gregorio XV. contro i Confeſſori ſollecitanti, la quale diſpone, che tutti i Sacerdoti tanto Secolari,

lari, quanto Regolari, o di qualſivoglia dignità, li quali nell'atto della Confeſſione Sagramentale, overo inanzi, o doppo immediatamente, o pure per occaſione, o preteſto di confeſſione [ancorche la Confeſſione non ſeguiſſe] overo fuori dell'occaſione di eſſa nel Confeſſionario, o in qualunque luogo, nel quale ſi aſcoltano le Confeſſioni Sagramentali, ſimulando in quei luoghi di udire le Confeſſioni, ſolleciteranno, o tenteranno di ſollecitare, o provocar Penitenti a peccati mortali, overo con quelli avranno colloquii, e trattati illeciti, e diſoneſti, debbano eſſer puniti dal S. Offizio, come ſoſpetti d'ereſia, e ſecondo la qualità de' delitti, e circoſtanze debbano eſſer ſoſpeſi dall'Ordine, e privati de' Beneſizii, Dignità, qualſivoglia offizio, e reſi reſpettivamente inhabili ad altri, e condennati anche all'eſilio, alla Galera, & a perpetuo carcere, ſenza alcuna ſperanza di grazia, e quando l'enormità del delitto meritaſſe maggior pena, ſi debbano degradare, e dare in mano della Corte Secolare, & accioche per difetto di prove un delitto tanto enorme, e perniciosſo non rimanga impunito, rimette ad arbitrio de i Signori Cardinali del S. Offizio, che poſſano giudicare il de-

litto provato per Teſtimonii ſingolari, preſunzioni, & indizii. Comanda in oltre a tutti li Confeſſori, li quali ſapranno, che i loro Penitenti ſiano ſtati da altri ſollecitati, che avvertano li medeſimi Penitenti dell'obligazione, che hanno di denunciare li Confeſſori ſollecitanti, o che abbiano tentato ſollecitare, al S. Offizio, overo al Veſcovo, e ſe ricuſeranno di volerli denunciare, non l'aſſolvano: In caſo poi che li Confeſſori tralaſciaſſero di avvertire, overo inſegnaſſero alli Penitenti, che non ſono obligati a denunciare i Confeſſori ſollecitanti, overo trattanti di ſollecitazione, come ſopra, il Veſcovo, o Inquiſitore devono ſeveramente caſtigarli.

E ſe il Penitente avendo acconſentito al peccato, ricuſaſſe di denunciare il Confeſſore ſollecitante per non ſcoprire il proprio eccеſſo, l'aſſicurerà il Confeſſore, che nella denunzia non è tenuto a propalare il proprio conſenſo, ne può eſſere ſopra di ciò interrogato, anzi che quando anche lo diceſſe, non ſi deve, ne puole ſcrivere, e quando il Penitente con tutto ciò perſiſteſſe nella medeſima renitenza, può il Veſcovo dare autorità al Confeſſore di ricevere per ſcrittura, o per giuramento la denunzia

nunzia per portarla poi al medeſimo Veſcovo in conformità della riſoluzione della Sagra Congregazione del S. Offizio fatta intorno alla medeſima Bolla di Gregorio XV. li 17. Settemb. 1624.

Dovrà finalmante il Confeſſore eſortare il Penitente a fare elezione di un buon Confeſſore, e non a mutarlo ſenza neceſſità, ma non però gli ſi dia per penitenza, quando non vi ſia qualche motivo particolare.

Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro Caſibus, quorum abſolutio, ſeu diſpenſatio à Sacra Pœnitentiaria Apoſtolica impetratur.

CUM ſępè ſit experientia compertum, plurimos utriuſque ſexus Chriſtifideles, & pręcipuè in longinquis degentes, cenſurarum vinculis, votorum obligationibus, Matrimoniorum impedimentis, necnon Irregularitatum, & caſuum quoquomodo reſervatorum ligaminibus adſtrictos ad Sanctam Sedem, ejuſque Sacram Pœnitentiariam ſpectantibus irretitos in illis lachrymosè perſiſtere, & continuis conſcientię agitationibus laboriosè perdurare, cujus mali cauſas ex ſimilibus provenire innotuit.

Primo eo quòd Parochi, vel alii ad quos hujuſmodi Pęnitentes recurrere contingit, in Pagis, aut locis Ruralibus degunt, & viam, modumque recurrendi ad pręfatam Sacram Pœnitentiariam ignorant, nec aliquem hic Romę agnoſcunt, ad quem ſupplicationes dirigant, unde Pœnitentes perplexos dimittunt, quibus, cum ad Ordinarium accedendi [fœminis pręſertim] verecundia, aut timor aditum intercludat, conſilium ulterius requirere neſcientes, remedium deſperant, & in prędictis vinculis, obligationibus, impedimentis, inhabilitatibus, & caſibus reſervatis, cum periculo damnationis inſordeſcunt.

Secundo evenit, quod Pœnitentes egeni recognitionem pro ſollicitatione, & labore agentium Romę commorantium, exolvere non valentes, inconſolati, ac conſcientię motibus concuſſi, in periculoſo ſtatu manere coguntur, & fortè [quod pejus eſt] ſibi perſuadent, Sacrę Pœnitentiarię Tribunal aliquid lucri pro litteris prędictis recipere, cum re vera Sacrę Pœnitentiarię Miniſtri, nec aliquid quamvis minimum, nec etiam ſpontè oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, ſingulos ad ſe recurrentes, ſerena fronte complectantur.

Ter-

Tertio accidit etiam nonnunquam per inadvertentiam exponentium, ut gratię juxta expoſita obtentę, irritę evadant, eò quia caſus, & circumſtantias neceſſarias reticeant, unde ſit, quod litterarum executores, caſu poſteà Pœnitentium examinato, rem aliter ſe habere, quam expreſſum fuerat, comperiant, & gratias ſubreptitias, aut obreptitias eſſe inveniant, quare pœnitentes confuſi remanent, & ſpe novę diſpenſationis ſe carere putantes, in prędictis vinculis, obligationibus, &c. miſerabiliter remanent.

Quarè gratum Deo, & utile fidelibus futurum eſſe ſperatur, ſi iſte modus recurrendi ad ipſam Sacram Pœnitentiariam proponatur.

Confeſſores itaque, cum Pœnitentes vinculis præfatis irretitos ad ſe accedere contingerit, caſuum qualitates, & prefatorum caſuum circumſtantias conſiderent, cauſaſque diſpenſationum, aut commutationum exprimant, & caveant, ne quod occultum eſt publicum faciant, prefertim impedimenta occulta matrimoniorum, nam publica, vel ad publicum redacta, non pertinent ad Sacram Pœnitentiariam.

Et ſic prefati Confeſſores, ſeu Pœnitentes poterunt caſus prefatos cum di-

ctis circumſtantiis, & cauſis exponere, ſivè latino, ſivè quocumque alio idiomate, propriç regionis, nam Sacra Pœnitentiaria ſuos ex quacumque regione Pœnitentiarios ſubordinatos habet, & exprimant inſuper in fine expoſitionis caſus, nomen, cognomen, cui ſit à Sacra Pœnitentiaria reſcribendum, etiam ſi ipſum nomen, & cognomen ſit fictitium. Itemque modum, per quem reſponſio ſecura dirigi poſſit, ſignificando ſcilicet, vulgari nomine; Oppidum, ſeù Civitatem, & Regionem, cum data menſis, & anni in hunc modum.

Intùs incipiant Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſic.

Eminentiſſime, & Reverendiſſime Domine.

N. Mulier emiſit votum ſimplex caſtitatis, manet in periculo incontinentiæ, niſi nubat, ſupplicat ſibi votum commutari ad effectum contrahendi Matrimonium.

Terminent Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſic.

Dignetur Eminentia veſtra reſcribere ad N. N. & exprimant nomen, & cognomen, cui eſt reſcribendum: Ad Civita-

vitatem N. exprimendo nomen Civitatis. Per Oppidum N. exprimendo vulgari nomine, nomen Oppidi. Et dirigere Breve, ſeù gratiam ſimplici Confeſſario Magiſtro in Theologia, ſive decretorum Doctori, ſive Parocho, cui Pœnitens aperuit ſuam conſcientiam, ne ipſe Pœnitens, & prçſertim fœminç cogantur circumire pro executione gratię Sacrę Pœnitentiarię.

Dirigant Epiſtolam, ſeù ſupplicationem ſcribendo extrà, ſeù à foris in hunc modum.

Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo Domino, Domino Cardinali Majori Pœnitentiario.

Romam.

Et, ſi tardaverit reſponſio, Confeſſarii reſcribant, nè fortè ſit deperdita, & nunquam deſperent Pœnitentes.

Monentur inſuper Parochi, ſivè Confeſſarii, ad quos prçſentes litterę pervenerint, illarum notitiam, quibus poterunt pro animarum ſalute communicare.

Digitized by Google

DECRETUM

De Apocryphis Indulgentiis.

DElatæ ſæpius fuere ad Sacram Congregationem Indulgentiis, Sacriſque Reliquiis præpoſitam, indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falſæ quæ per diverſas Orbis Chriſtiani partes circumferuntur, aliæ verò examinandæ, quæ adhibito ſtudio inventæ ſunt vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ, quod datum eis tempus præterjiſſet, quarum quidem plurimæ, cum non facilem cognitionem habeant Chriſtifideles harum rerum minùs peritos fallunt, qui ſpe indulgentiæ, remiſſioniſque peccatorum ſuorum conſequendæ fruſtrantur. Quamobrem eadem Sacra Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies ſerpenti occurrere, animarum profectui, & indulgentiarum dignitati conſulere, plures illarum ſingulari diligentia colligi, & in Indicem referri curavit.

Tales in primis ſunt illæ, uti aſſerunt, conceſſæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus Orationem charitatis Jeſu Chriſti Domini Noſtri, precor te, Piiſſime Domine &c. ab Urbano II. Eccle-

ſiæ

ſiæ S. Mariæ, & vulgo dici ſolet, Campagnolæ, & S. Victoriæ, ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jeſu Chriſti factæ S. Bernardo, ab Innocentio III. Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis, à Bonifatio IX. viſitantibus Cappellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die feſto, à Joanne XXII. oſculantibus menſuram plantæ pedis Beatæ Mariæ Virginis, ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgò dictæ, Laghetti, à Leone X. geſtantibus funiculum S. Franciſci, primum in Urbe impreſsæ, deinde Mediolani anno 1665. (ſuas tamen habent, & veras Confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Franciſci) recitantibus Salutationem Angelicam ad pulſum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictę, cujus pedibus Luna ſubjecta eſt, à Pio IV. vel Pio V. Principi Senarum, à Clemente VIII. dicentibus Orationem, O magnum myſterium &c. & Eccleſiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati, Avenione impreſſæ, tùm alię pro animabus Chriſtifidelium defunctorum impreſsæ Matriti 20. Iulii 1606. à Paulo V. cantantibus Hymnum, Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur &c. vel ſi die Sabbati intere-

g 6

Digitized by Google

tererint dum idem canitur, & Coronis, Roſariis, Imaginibus, & Numiſmatibus, quę medallias appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromęo ſupplicante anno 1611. dum Eccleſia Romæ in honorem S. Caroli ædificaretur, & ab eodem Paulo, & Greg. XV. dicentibus, Sia lodato il Santiſſimo Sagramento, laus Sanctiſſimo Sacramento, ab Urbano VIII. in honorem ejuſdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus, celebrata Miſſa, dicentibus, Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii &c. à Clemente X. recitantibus mane, meridie, ac Veſpere conſuetam Antiphonam, Angelus Domini &c. & in fine, Deo gratias, & Mariæ, ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Myſteriorum Paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita quinquies Oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam quolibet die à Purgatorii pęnis affirmant. Tales aliæ Peruſii Confraternitatis Sanctorum Sebaſtiani, & Rochi, & Romæ Societatis S. Bernardi ad Columnam Trajani; Tales demum aliæ Cruceſignatorum Sancti

ſti Euſtorgii Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis ſunt & illæ conceſſæ, ut ajunt, Capellæ Roſarii in Eccleſia S. Antonii de Rovigo, ſeu Rodigii, vel Eccleſiæ Sanctiſs. Trinitatis Bergomi, aut S. Petri Montis Todoni, die feſto Inventionis Sanctiſs. Crucis, vel geſtantibus funiculum S. Franciſci de Paula, vel celebrantibus Miſſas S. Auguſtini, aut alias quinque in honorem quinque Feſtivitatum B.V. vel recitantibus Officium S. Franciſcæ Romanæ, aut Antiphonam, ò Paſſio magna &c. in memoriam Paſſionis Ieſu, aut Roſarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut orationem, quæ impreſſa cum imagine S. Annæ circumferri ſolet, Ave gratia plena &c. (quæ oratio prohibetur) aut Officium Conceptionis B.V. Immaculatæ, quod aſſerunt à Paulo V. probatum fuiſſe, aut orationem, Deus, qui nobis in S. Syndone &c. (excipitur indulgentia centum dierum anno 1671. conceſſa precibus Duciſſæ Subaudię ad annos 25. cunctis in illius ditione degentibus) aut aliam, Ave Filia Dei &c. poſt Communionem recitandam, vel aliquo conſpicuo ſigno venerantibus Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti nomen; Indulgentiæ rurſus octo-

Digitized by Google

octoginta millium annorum veteri de Tabula exſcriptæ quam in Baſilica Lateranenſi aſſervari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam, Deus qui pro redemptione Mundi &c. tumque impreſſæ fuerunt Papiæ anno 1670. ſub hoc titulo, Sommario dell' Indulgenze conceſſe dalla Santità di Noſtro Signore Papa Leone X. all'Immagine della Concezzione della Glorioſa Vergine Maria, vel Piſauri ſub nomine B. Ioannæ, anno 1608. evulgatæ, vel Barlettæ, ſeù Baruli à recitantibus quaſdam, non ſanè malas orationes, lucrandæ, vel Parmæ à viſitantibus per Quadrageſimæ dies Eccleſias Tertii Ordinis Sancti Franciſci, vel Piſtorii, & Vaſtallæ à recitantibus orationem, Ave Sanctiſs. Maria, Mater Dei, Regina Cœli &c. & aliæ in peculiari impreſſo libro deſcriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ ſunt, quæ Crucibus Caravacenſibus tributæ dicuntur, vel Coronæ, ſive Stellario Conceptionis Virginis Immaculatę, quod ex duodecim globulis præcariis conſtat, vel Granis, Crucibus, & Coronis Aloyſiæ ab Aſcenſione Hiſpanæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel menſuræ altitudinis JESU Chriſti Domini noſtri, vel Imagini,

gini, aut menſuræ vulneris lateri ejus inflicti; vel orationi, ut ajunt, in Sepulchro Domini noſtri repertæ, & Indulgentiæ, ut ajunt, innixæ revelationi factæ Sanctæ Birgittæ, Mectildi, & Eliſabeth, vel B. Joannæ de Cruce, & conceſſæ, ut aſſerunt, granis, quæ aliquod ex tribus granis tetigerint extantibus penès Romanum Pontificem, Hiſpaniarum Regem, & Miniſtrum Generalem Fratrum Minorum Obſervantiæ S. Franciſci.

Omnes verò; & ſingulas jam dictas Indulgentias Sacra Congregatio partim eſſe confictas, & planè falſas declarat, partim apocryphas, vel ex alio capite nullas, quæ nemini ſuffragari poſſunt; eaſque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Chriſti fidelibus proponi vetat; Foliaque, & Libros, ubi ſic proponuntur, ſeu aſſeruntur, omninò præcipit aboleri, niſi prædictæ Indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ; nec ideò tamen vult, alias quas hoc decretum non continent pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demùm omnes Indulgentias conceſſas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Januarii 1597. Coronis, Roſariis, Granis, ſeu calculis, Crucibus, & Imaginibus ſacris, vel ante

Breve

Breve Pauli V. quod incipit, *Romanus Pontifex &c.* editum 23. Maii Anno 1606. perſonis Regularibus quarumcumque Religionum, & Ordinum, etiam Mendicantium, vel ante Conſtitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium, *Quæcumque* &c., & 68. Pauli V. incipientem, Quæ ſalubritèr &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine Congregatione, Societate etiam Jeſu, Capitulo, vel Cætu quocumq; vel ab eorum officialibus, Superioribus, aliiſque perſonis, vel perſona, etiamſi earum, vel ejus mentio ſpecialis, & individua facienda eſſet, niſi fuerint deinde Romani Pontificis authoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius eſſe roboris, & momenti pariter declarat.

Porrò Summaria Indulgentiarum, pro Congregationibus Doctrinæ Chriſtianæ, Confraternitatibus Sanctiſſimæ Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, Nominis Dei, Roſarii, B. Mariæ de Mercede, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, Cincturæ S. Auguſtini, & S. Monicæ, niſi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò Stationum Urbis

bis, quæ à Romanis Pontificibus ſingulari quodam beneficio vel communicatæ ſunt, vel communicabuntur interdùm, aliquibus locis, Ordinibus, aut perſonis, diebus tantùm Stationum in Miſſali Romano deſcriptis ſuffragari poſſe declarat: ſemèl autem dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus peragentibus, lucrifieri.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctiſſimum, cuncta Sanctitas Sua probavit, & inviolatè ſervari juſſit. Datum Romæ die 7. Martii 1678.

Aloyſius Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michel Angelus Riccius Secret.

Die 12. *Menſis Martii* 1678. *ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis ſolitis. & conſuetis Urbis per me Rochum de Stephanis Sanctiſs. Domini Noſtri Papæ Curſ.*

Laurentius Signus Magiſter Curſ.

DE-

INNOCENTII XI.
Declaratio,

Pro Altaribus Privilegiatis ad Fidelium Defunctorum ſuffragium.

INNOCENTIUS PAPA XI.
Ad perpetuam rei memoriam.

ALiàs poſtquam fel. rec. Alexander Papa VII. Prædeceſſor noſter per quaſdam ſuas in ſimili forma Brevis die 22. Januarii 1667. expeditas literas, dubia in diverſis Mundi partibus occaſione Decreti Congregationis tunc exiſtentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpoſitorum die 5. Auguſti 1662. emanati, & ab ipſo Alexandro Prædeceſſore approbati de non celebrandis Miſſis Defunctorum in Feſtis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, inter cætera, quoad Altaria Privilegio Apoſtolico pro animabus fidelium Defunctorum in perpetuum decorata, & in quibus proinde quotidie, etiam in Feſtis ritus duplicis celebrandæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ex obligatione declaraverat per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti ſatisfieri injunctis obligationibus, & Indulgentias per ejuſdem Privilegia

legia Apoſtolica conceſſas animabus fidelium Defunctorum in Purgatorio exiſtentibus ſuffragari, perinde, ac ſi celebratæ fuiſſent Miſſæ Defunctorum ad formam dictorum Privilegiorum, rec. mem. Clemens Papa IX. pariter Prædeceſſor noſter aliam ſubinde ortam dubitationem, utrum ſcilicet dictarum Alexandri Prædeceſſoris literarum diſpoſitio quoad Altaria pariter quidem Privilegiata, ſed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, & ad quæ Miſſa non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, ſimiliter tollere deſiderans, declarationem à memorato Alexandro Prædeceſſore, ſicut præmittitur, editam, ad Altaria, ut præfertur, non in perpetuum, ſed ad ſeptennium, ſeu aliud breviùs, vel longius tempus, ac in omnibus, ſed aliquo, vel aliquibus tantùm hebdomadæ diebus tunc & in futurum quandocumque privilegiata, authoritate Apoſtolica extendit, & proinde ut Miſſæ, quæ ibidem de Feſto currenti, in quo Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſent, ſive ex obligatione, ſive ex ſola fidelium devotione celebrandæ eſſent ſuffragentur, itaut Animæ Chriſti fidelium, pro quibus celebrarentur, Indulgentias per

Pri-

Digitized by Google

Privilegia hujuſmodi conceſſas conſequerentur in omnibus, & per omnia, perinde ac ſi Miſſæ Defunctorum ad formam eorumdem Privilegiorum celebratæ fuiſſent, eadem auctoritate conceſſit, & indulſit, & aliàs prout in ipſius Clementis Prædeceſſoris literis, etiam in forma Brevis die 23. Septembris 1669. deſuper expeditis, quarum, & præfatarum Alexandri Prædeceſſoris literarum tenores pręſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis haberi volumus, uberius continetur. Cùm autem poſtmodum, ſicut accepimus, novum circa præmiſſa excitatum fuerit dubium, videlicèt, An ſupradictæ Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes, ſibi pariter locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, & infrà Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, aliiſque anni diebus, quibus licet a feſto duplici non impediantur; adhuc tamen Miſſæ Defunctorum iuxtà ritum, & morem Eccleſiæ celebrari nequeunt, quatenùs nimirum, Miſſæ, quas iiſdem diebus celebrare licet, ſervàta cæteroq; dictorum Privilegiorum forma, ad præfata Altaria Privilegiata celebrarentur. Noſque dubium huiuſmodi Congregationi Ven. Fratrum noſtrorum S. R. E.

Car-

Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum examinandum commiſerimus, ac eadem Cardinalium Congregatio præmaturè diſcuſſa, nuper per ſuum decretum die 3. Aprilis proximè præteriti editum præfatas Alexandri, & Clementis Prædeceſſorum declarationes intelligendas eſſe pro omnibus diebus, quibus iuxtà Rubricas Miſſæ Defunctorum celebrari non poſſunt, reſponderit. Hinc eſt, quod Nos ex commiſſæ Nobis cœlitus diſpenſationis munere fidelium Defunctorum Animarũ in Purgatorio exiſtentium ſuffragiis perampliùs conſulere cupientes, Decretum hujuſmodi à memorata Cardinalium Congregatione editum, ut præfertur, Apoſtolica authoritate tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiq; inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus. Salva tamen ſemper in præmiſſis auctoritate ſupradictæ Congregationis Cardinalium. Decernentes eaſdem præſentes literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, ac obtinere, ac illis, & ad quos ſpectat, & pro tempore ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcumque Judices ordina-

dina-

dinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus, quatenùs opus ſit, Noſtra, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regula, de non concedendis Indulgentiis ad inſtar, aliiſq; Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra illud habeatur, quæ præſentibus ipſis haberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 4. Mai milleſimo ſexcenteſimo octuageſimo octavo. Pontificatus noſtri anno duodecimo.

I. F. Albanus.

DECRETUM.

CUM à Sac. Congregatione Indulgentiis, ſacriſq; Reliquiis præpoſita Cameracenſis Archiepiſcop. quæſiviſ-

ſiviſſet, quævis, & ſententia Clauſulę, (quæ hodie Brevibus Indulgentiarum apponi ſolet,) Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſti fidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum, duratura, conceſſa fuerit, præſentes literæ nullæ ſint; Sacra Congregatio, re diligentiùs examinata, Clauſulam ſic explicandam cenſuit, ſi videbitur Sanctiſs. D. Noſtro. Ea minimè contineri Altaria privilegiata pro Defunctis, neque indulgentias, aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaſue hujuſmodi preces recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum Oratione quadraginta horarum interſunt, neque Stationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias inſtar ſeptem Altarium Baſilicę Vaticanę conceſſas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterùm, ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria, in perpetuum, vel ad tempus, tùm ab eodem, tùm ab alio Romano Pontifice, generatim Chriſti fidelibus Eccleſiam,

vel

vel aliquod ejus Altare, ſeu Cappellam, viſitantibus, eodem anni die, vel diverſo, conceſſa fuerit, de qua non fiat in literis Apoſtolicis mentio, has literas ob adjectam clauſulam eſſe prorsùs irritas, ac nullas. Datum die 23. Junii 1676.

De his autem facta relatione ad Sanctiſſimum D. N. die 18. Martij 1677. ſententiam Congregationis approbavit.

C. Card. Maximus.
Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Secr.

Die, Menſe, & Anno, ſupradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiæ, & in Acie Campi Floræ, ut moris eſt, ac in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Franciſcum Antonium Simoncellum SS. D. N. Papæ Curſorem.

Pro D.Mag. Curſ. Joannes Antonius Scajola Apoſt. Curſ.

CON-

Digitized by Google

CONFIRMATIO DECRETORUM

Congregationis S.R.E. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum, ſuper Celebratione Miſſarum, etiam cum declarationibus, & innovatione Decretorum ab eadem Congregatione, auctoritate fel. rec. Urbani Papæ VIII. deſuper aliàs factorum.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper à Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum, S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum prodierunt Decreta tenoris infraſcripti, videlicet.

Aliàs ſuper celebratione Miſſarum, ac prohibitione illas moderandi, ſeu reducendi abſque Sedis Apoſtolicę licentia, necnon ſuper earundem oneribus perpetuis ſuſcipiendis, & Religioſorum numero ultra redditus, & conſuetas eleemoſynas locorum Regularium non habendo, emanarunt ab hac Sacra Congregatione S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate

per fęl. recor. Urbanum Papam VIII. illi ſpecialiter attributa, quamplura Decreta tenoris ſequentis.

Cùm ſæpe contingat in quibuſdam Eccleſiis tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum, ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemoſynis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus præſcriptis nequeat ſatisfieri, & tamen nova onera Miſſarum in dies ſuſcipiantur; indeque fiat, ut depereant pię Teſtantium voluntates, obſtricta Benefactoribus fides violetur, Defunctorum animæ ſuffragiis priuentur, Eccleſiis debitus ſubtrahatur cultus, ac Chriſti fideles gravi ſcandalo affecti, plerumque a ſimilibus charitatis operibus retrahantur: Cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod ii, qui Miſſas ſupra vires celebrandas ſuſcipiunt, ſperent illas brevi ad pauciorem numerum à Superioribus reductum iri; aut quòd Eccleſiis ſorte pecuniarum abſumpta, plerumque nuda remaneant onera Miſſarum, abſque ullo emolumento, aut quòd eleemoſyna pro illis celebrandis ſit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic ſe muneri ſubiicere, & redditus Eccleſiæ, aut Monaſterii adeò exigui, ut Sacerdos pro neceſſaria ſua ſubſtentatione novis ſe

one-

oneribus obſtringere compellatur. Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum animadvertens, facturam ſe rem Deo gratiſſimam, charitatique, ac juſtitiæ maximè conſentaneam, ſi pro viribus ſatagat, hunc teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica convellere, atque eradicare. Sanctiſſimi D. N. Urbani Divina Providentia Papæ VIII. auctoritate ſibi ſpecialiter attributa, infraſcripta Decreta edidit.

Ac primò diſtrictè prohibet, atque interdicit, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis, ſed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apoſtolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perſpecta, id ſtatuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, moderationes, & commutationes, hujuſmodi, ſi quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.

Deinde vbi pro pluribus Miſſis, etiam ejuſdem qualitatis celebrandis, ſtipen-

dia, quantumcumque incongrua, & exigua, ſive ab una, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Monaſteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis Piis quibuſcumque, tam Sęcularibus, quàm Regularibus; Sacra Congregatio ſub obteſtatione Divini Judicii mandat, ac præcipit, ut abſolutè tot Miſſę celebrentur, quot ad rationem attributę eleemoſynę pręſcriptę fuerint, itaut alioquin ii, ad quos pertinet, ſuę obligationi non ſatisfaciant; quinimmo graviter peccent, & ad reſtitutionem teneantur.

Id verò, ut deinceps obſervetur exactiùs, Sacra Congregatio eadem auctoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibuſvis perſonis, Eccleſiis, ac Locis Piis, tam Sęcularibus, quàm Regularibus cujuſcumquę Ordinis, Congregationis, & Inſtituti, quamcumque ob cauſam conceſſa, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus Collectis, ſeu Orationibus plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Ac ſimiliter omne damnabile lucrum

ab

ab Eccleſia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Miſſam ſuſcepit celebrandum cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem eleemoſynæ ſibi retenta, celebrandam committat.

Pręterea, nè in Eccleſiis, in quibus onera Miſſarum in perpetuum impoſita ſunt, Sacerdotes in eis, vt par eſt, adimplendis eò tepidiores, ac ſegniores reddantur, quòd onera hujuſmodi cum nulla, aut parva ſint utilitate conjuncta; ſtatuit, atque decernit, ut pecunię, ac bona mobilia Eccleſiis, Capitulis, Collegiis, Hoſpitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monaſteriis, Conventibus, ac Locis omnibus, tam Sęcularibus, quàm Regularibus, atque illorum perſonis in futurum ſimpliciter acquirenda cum onere perpetuo Miſſarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinent, ſub pœna Interdicti ab ingreſſu Eccleſię ipſo facto incurrenda à die realis acquiſitionis, ſtatim deponi debeant penes Ædem Sacram, vel perſonam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, ſeu illorum pretium quàm primùm inveſtiendi in bonis immobilibus fructiferis cum expreſſa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur.

Ac ſi eadem bona immobilia auctoritate Apoſtolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium, ſub eadem pœna, ut ſupra, deponi, atque in aliis bonis ſtabilibus itidem fructiferis cum eiuſdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

Ad hęc. Sacra Congregatio quibuſvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, ac piorum Locorum, tam Secularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, diſtrictè prohibet, ne impoſterum onera perpetua ſuſcipiant Miſſarum celebrandarum, Sęculares quidem ſine Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, Regulares verò ſine Generalis, vel Provincialis conſenſu, & licentia in ſcriptis, & gratis concedenda; alioquin Sęcularis, qui hujus prohibitionis tranſgreſſor extiterit, ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus ſit eo ipſo: Regularis verò pœnam privationis omnium Officiorum, quę tunc obtinebit, ac perpetuę inhabilitatis ad alia de cętero obtinenda, vociſque activę, ac paſſivę, abſque alia declaratione incurrat.

Eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis ita demum iidem accipere poſſint, ſi oneribus

bus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera ſuſcipere valeant; alioquin omnino abſtineant ab hujuſmodi eleemoſynis, etiam ſpontè oblatis in futurum recipiendi, & capſulas auferant ab Eccleſiis cum inſcriptione illa: *Eleemosyna pro Miſſis*, vel alia ſimili ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne Fideles hac ratione fruſtrentur.

Epiſcopus verò, ſeu ejus Vicarius, aut Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requiſiti, in ſingulis caſibus diligenter inquirant, de ſingulis Miſſarum celebrandarum obligationibus, cuique Eccleſiæ, Monaſterio, aut Loco Pio incumbentibus; nec antea aſſenſum hujuſmodi, aut licentiam prębeant, quàm eis legitimè conſtiterit, illius Sacerdotes tam novo oneri ſuſcipiendo, quàm antiquis jam ſuſceptis ſatisfacere poſſe, pręcipuamque rationem habeant, ut redditus, qui Eccleſiis, & Locis piis relinquuntur, omninò reſpondeant oneribus adjunctis ſecundùm morem cujuſque Civitatis, vel Provincię, intelligantque, ſi in re tanti momenti deſides, aut negligentes fuerint, in noviſſimo die ſe hujus prętermiſſi muneris rationem eſſe redditurosb.

Poſtremò Illuſtriſs. Patres non ſine

gravi animi dolore intelligentes, mala ferè omnia, quę Regularem diſciplinam evertunt, ac pręcipuè nimiam hanc facilitatem fovent, in oneribus Miſſarum ſupra vires ſuſcipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant redditus, & eleemoſynę cuiuſque Monaſterii; inhęrentes Summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis, hac de re editis, Sanctiſſimi D. Noſtri auctoritate pręcipiunt, ac mandant omnibus, & ſingulis Generalibus, Provincialibus, Commiſſariis, Miniſtris, Pręſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Guardianis, Vicariis, & quibuſcumque aliis Superioribus Monaſteriorum, Conventuum, ac Domorum Regularium, bona immobilia poſſidentium, vel non poſſidentium, cuiſcumque Ordinis, Congregationis, & Inſtituti exiſtentium intra fines Italię, & Inſularum adjacentium, ut ſinguli, ad quos pertinet in qualibet Provincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus ſui Ordinis, vel Congregationis probatioribus, & rerum uſu peritioribus, bona immobilia, cenſus, redditus, & proventus omnes, conſuetas item eleemoſynas, & obventiones tam communes Monaſteriorum, Conventuum,

&

& Domorum ejuſdem Provincię, quàm etiam ſingularibus perſonis Religioſis aſſignatas, ſeu permiſsas in communem uſum deinceps conferendas, decem annorum immediatè pręcedentium habita ratione diligenter, & maturè recognoſcant, iis omnibus detractis, quę reparationes, præſtationes, grandines, ſterelitates, aliave cuiuslibet generis onera conſueverunt abſorbere.

Eaque omnia ſcripto fideliter exarata, idem Superior, cujus intereſt, in proximo Capitulo, ſeu Congregatione generali, vel Provinciali coram tribus Judicibus ab ipſomet Capitulo, ſeu Congregatione deligendis proponat, qui computatis hujuſmodi redditibus, eleemoſynis, & obventionibus univerſis, & oneribus, ut ſupra detractis ſedulò examinent, quot Religioſi homines connumeratis etiam Laicis, aliiſque neceſsariis ſervientibus in unoquoque Monaſterio, Conventu, & Domo regulari iuxta regionis, & proprii inſtituti morem, victum, & veſtitum, & medicinalia in communi habentes, competenter valeant ſuſtentari. Tum eorumdem bonorum, reddiiuum, eleemoſynarum, & onerum pręciſam notam ipſimet Capitulo, ſeu Congregationi exhibeant, ut in illo diligenter omnibus diſcuſſis,

cujuſque Familię Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis in ſingula quaque Provincia certus earum tantùm perſonarum numerus, Patrum capitularium voto pręfigatur, quę redditibus, eleemoſynis, & obventionibus, ut ſuperiùs ſufficienter ali poſſint.

Ne verò Superiores, qui id pręſtare debent, ſeriùs, aut remiſſiùs, quàm par eſt, ſuo muneri ſatisfaciant; mandat Sacra Congregatio, ut infra annum, poſt proximum Capitnlum generale, vel provinciale computandum, omnia hoc de genere capitulariter geſta, in authenticam formam redacta, ad Sacram ipſam Congregationem Concilii ſinguli mittant.

Numerumque familię, ſingulorumque Conuentuum, Monaſteriorum, & Domorum hujuſmodi Regularium, Capituli, ſeu Congregationis generalis, vel provincialis ſententia, & auctoritate pręfinitum, iidem Superiores tam Generales, & Prouinciales omnes, quàm Locales perpetuò ſervare omninò teneantur, nec poſſint illum quoquomodo augere, etiam prętextu augmenti redditutum abſque Sacrę ipſius Congregationis licentia; Superiores autem hujuſmodi, qui prędicta omnia in pręfixo termino non pręſtiterint, vel numerum,

merum, ut ſupra prę́ſcriptum, quovis modo augere prę́ſumpſerint, privationis omnium Officiorum, quę tunc temporis obtinebant, vociſque activę, & paſſivę, & ad omnia ſuę Religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipſo incurrere, atque alijs etiam gravioribus à Sede Apoſtolica infligendis pœnis Sacra Congregatio ſubjacere voluit, & declaravit.

Deinceps verò Monaſterium, Conventus, Domus, Congregatio, vel Societas Religioſorum, ſeu Regularium nullibi recipiatur, niſi prę́ter alia ad id requiſita; in ſingulis hujuſmodi locis duodecim ſaltem Fratres, aut Monaci, ſeu Religioſi degere, & ex redditibus, & conſuetis eleemoſynis detractis omnibus, ut ſupra detrahendis, competenter ſuſtentari valeant ad prę́ſcriptum decreti fel. rec. Gregorii XV. hac de re editi; Alioquin Monaſteria, & loca hujuſmodi poſthac recipienda, in quibus duodecim Religioſi, ut ſupra ſuſtentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitaverint Ordinarii loci viſitationi, correctioni, atque omnimodę juriſdictioni ſubjecta eſse intelligantur.

Porrò, nè ullo unquam tempore hęc in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant Superiores locales cujuſque Monaſterii,

h. 6 Con-

Conventus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur, ſub pœna privationis Officii, vociſque activę, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum, ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Aduentus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti, pręſentes ordinationes in publica Menſa perlegantur.

Omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cuiuſcumque ſint Ordinis, conditionis, & gradus, quàm Laicis quocumque honore, & poteſtate pręditis, pręſentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitùs interdicta.

Non obſtantibus, quod ſupraſcripta omnia, & ſingula in pręſentibus decretis contenta, Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis in favorem quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Joannis Hjeroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuſlibet alterius Inſtituti, etiam neceſsario & in individuo exprimendi Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam Sęcularium, quàm Regularium Locorum, necnon illorum,

etiam

etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, nec non irritantibus decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitùs omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus aduerſantur, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſ-

preſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Et ne præmiſſorum ignorantia à quoquam prætendi poſſit, voluit eadem Sacra Congregatio, ut præſentes ordinationes in Valvis Baſilicarum S. Joannis Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum de Urbe, ac in Acie Campi Florę, ut moris eſt, affixę, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac ſi unicuique perſonaliter intimatę fuiſſent.

Utque earundem pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcripti, & ſigillo perſonę in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Datum Romę die 21. Junii 1625.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus S. Congreg. Secr.

Ex citatis autem ſuper pręmiſſorum decretorum intelligentia, ſeu interpretatione infraſcriptis dubiis, prodierunt à mæmorata Congregatione ſimili auctoritate illi à pręfato Urbano Papa Octavo ſpecialiter attributa reſponſiones, ſeu declarationes inferiùs apponendę.

Super primo Sacrę Congregationis decre-

decreto, de celebratione Miſſarum, quo prohibetur, ne Epiſcopi in Diœceſana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliâs quoquomodo, reducant onera ulla Miſſarum celebrandarum, aut poſt idem Concilium impoſita, aut in limine fundationis.

Quęritur, quid ſi legatum ſit ita tenue, ut non ſit, qui velit onus illi iniunctum ſubire, etſi recurrendum ſit ad Sedem Apoſtolicam pro moderatione oneris, totum aut ferè totum inſumendum ſit pro expenſis ad id neceſſariis?

Et quid, ſi permittatur Epiſcopo in fundatione, vt poſſit hujuſmodi onera moderari?

Secundò, ſuper ſecundo ejuſdem Congregationis decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Miſſę, quot ad rationem tributæ eleemoſynę pręſcriptę fuerint.

Quęritur, an verba illa [pręſcriptę fuerint] intelligenda ſint de pręſcriptione facta ab Offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cum Ordinarius pręſcripſerit eleemoſynam congruā iuxta qualitatem loci, perſonarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes ſtipendium minus congruo, teneantur Miſſas illis ab Offerente pręſcriptas celebrare?

Quar-

Digitized by Google

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Capellę, legati, aut ſalarii, poſſint etiam manualem eleemoſynam, pro Miſſis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Miſſę Sacrificio utrique oneri ſatisfacere?

Quintò poſito, quòd Teſtator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Miſſæ, abſque ulla pręſcriptione eleemoſynę.

Quęritur, an liberum ſit hęredibus, eleemoſynam ſibi benè viſam pręſcribere, an verò eadem eleemoſyna pręſcibenda ſit ab Ordinario.

Sextò, ſuper tertio Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, ut certarum Miſſarum, vel Anniverſariorum celebratione, aut aliquibus collectis, ſeu Orationibus, plurium Miſſarum oneribus in futurum ſuſcipiendis ſatisfiat.

Quęritur, an verba (in futurum ſuſcipiendis) intelligenda ſint de oneribus ſuſcipiendis poſt Privilegium?

Septimò, ſuper quarto ejuſdem Congregationis Decreto quo prohibetur Sacerdoti, qui ſuſcepit Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna, ne eamdem Miſſam alteri, parte ejuſdem

ele-

eleemoſynę ſibi retenta, celebrandam committat.

Queritur, an permittendum ſit adminiſtratoribus Eccleſiarum, ut retineant aliquam eleemoſynarum portionem, pro expenſis manutentionis Eccleſię, Altarium, Inſervientium, paramentorum, luminum, Vini, Hoſtię, & ſimilium?

Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quę conferuntur in titulum, ideſt, an Rector beneficii, qui poteſt per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare ſtipendium, ad rationem reddituum Beneficii?

Decimò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemoſyna, major ſolita, pro celebratione Miſſę, debeant dare eamdem intergam eleemoſynam iis, quibus Miſſas celebrandas committunt; An verò ſatis ſit, ut dent celebrantibus eleemoſynam conſuetam?

Undecimo, ſuper quinto ejuſdem Congregationis decreto, quo inter cętera ſtatuitur in hęc verba [eleemoſynas verò manuales, & quotidianas pro Miſſis celebrandis] ita demum iidem, accipere poſſint, ſi oneribus antea impoſitis ita ſatisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant; Alioquin omni-

omnino obſtineant ab hujuſmodi eleemosynis, etiam ſponte oblatis in futurũ recipiendis, & capſulas auferant &c.

Quęritur, an hoc decretum prohibeat abſolutè, quo minùs accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non ſatisfecerunt, & quid, ſi congruo tempore poſſint omnibus ſatisfacere?

Duodecimo, quid, ſi offerens eleemosynas, audito impedimento conſentiat, ut Sacerdos Miſſam celebret, cum primùm poterit?

Decimotertio; an pœna interdicti, & alię appoſitę in eodem decreto afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi pręſcriptam, quàm eos, qui non auferunt capſulas ab Eccleſiis, ut ibidem pręcipitur.

Decimoquarto, an in hoc Decreto comprehendantur illæ Capſulę, quę apponi ſolent in Eccleſiis, in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur [*Caſſe de' Morti*]

Decimoquinto, an Adminiſtratores Eccleſię magnę devotionis, & concurſus, poſſint eleemosynas pro Miſſis celebrandis accipere, ſi iiſdem Miſſis, non niſi poſt longum tempus ſatisfacere valeant, ne aliàs cultus Eccleſię, & devotio, ac concurſus Fidelium, ut ajunt, minuantur?

Deci-

Decimoſexto, quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa ſolis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus, & ſingulis Eccleſiarum, & Piorum locorum, tam Secularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expreſſa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur ſub clauſula generali [*& aliis ad quos pertinet*] ſupplicatur pro opportuna declaratione?

Decimoſeptimo, ſuper ſeptimo ejuſdem Sacrę Congregationis decreto, quo cavetur, ut in ſingulis Monaſteriis Religioſorum pręfigatur numerus, qui ex conſuetis redditibus, aut eleemoſynis commodè poſſit ſuſtentari.

Quęritur, an ubi hęc pręfixio facta jam fuit in vim ſimilis decreti ſan. mem. Pauli V. abſque tamen computatione redditũum, cujuſque Religioſi, ſit denuò facienda, nec nè?

Decimo octavo, An Novitii, ad habitum regularem admiſſi, poſſint admitti ad profeſſionem in Monaſteriis, in quibus habita, ut ſupra, pręfixione numeri, commodè ali non poſſunt?

Decimo nono, Super ultimo, quo cavetur, ut nullibi recipiantur Conventus Regularium, niſi pręter alia ad id requi-

requiſita, duodecim ſaltem fratres in eis degere, & competenter ſuſtentari valeant, itaut alioquin ſubſint juriſdictioni Ordinarii.

Quæritur, an hoc decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem Miſſarum, comprehendat eas Religiones, quę non conſueverunt onera Miſſarum recipere, ut ſunt Religiones Capuccinorum, ac Societatis Jeſu?

Ultimò, An idem decretum, ubi diſponit, ut nullibi recipiantur Monaſteria, niſi &c. habeat locum in Italia, dumtaxat; ad quam eſt reſtrictum decretum proximè antecedens, an verò etiam extrà Italiam.

Declarationes, ſeu Reſponſiones ad ſupradicta Dubia.

Sac. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate ſibi à Sanctiſſimo Domino Noſtro attributa, ad ſingula Dubia ſuperius propoſita, ad hunc modum reſpondit, videlicèt.

Ad primum, etſi legatum ſit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut ſupra impoſiti, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apoſtolicam eſſe adeundam, quę abſque ulla impenſa id ſtatuet,

quod

quod magis in Domino è re eſſe judicaverit: Verumtamen: Si in ipſa Beneficii erectione expreſsè cautum fuerit, ut liceat Epiſcopo injunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis, quàm decreta hac de re edita non ſuſtulerunt, eſſe validam, & obſervandam.

Ad ſecundum, eſſe intelligenda de præſcriptione facta ab eo, qui eleemoſynam tribuit, non autem ab Ordinario: Quòd ſi tribuens eleemoſynam numerum Miſſarum celebrandarum non præſcripſerit, tunc tot Miſſas celebrari debere, quot præſcripſerit Ordinarius ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum Sacerdotes, quibus diebus tenentur Miſſas celebrare ratione Beneficii, ſeu Cappellæ, Legati, aut Salarii, ſi eleemoſynas pro aliis etiam Miſſis celebrandis ſuſceperint, non poſſe eadem Miſſa utrique obligationi ſatiſfacere.

Ad Quintum, cenſuit, ubi nullam certam eleemoſynam Teſtator reliquit, eſſe ab Epiſcopo præſcribendam eleemoſynam congruam, quæ reſpondeat oneribus Miſſarum celebrandarū, ſecundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.

Ad Sextum, ita eſſe intelligenda.

Ad

Ad Septimum, reſpondit, permittendum non eſſe, ut Eccleſiæ, ac loca Pia, ſeu illorum Adminiſtratores, ex eleemoſynis Miſſarum celebrandarum ullam, utcumque minimam portionem retineant ratione expenſarum, quas ſubeunt in Miſſarum celebratione, niſi cum Eccleſiæ, & Loca Pia alios non habent redditus, quos in uſum earumdem expenſarum erogare licitè poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenùs debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet tantùm Miſſæ Sacrificio neceſſariò ſunt ſubeundæ, & nihilominùs eo etiam caſu curandum eſſe, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis, vt ſupra deductis, abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot præſcriptæ fuerint ab Offerentibus eleemoſynas.

Ad Octavum, non habere locum. Sed ſatis eſſe, ut Rector Beneficii, qui poteſt Miſſam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti elemoſynam congruam, ſecundùm morem Civitatis, vel Provincię, niſi in fundatione ipſius Beneficii aliud cautum fuerit.

Ad Decimum, debere abſolutè integram eleemoſynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem ſibi retinere poſſe.

Ad

Digitized by Google

Ad Undecimum, reſpondit, non prohibere abſolutè; Ac propterea, etſi oneribus jam ſuſceptis non ſatisfecerint, poſſe tamen nova etiam onera ſuſcipere Miſſarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus poſſint omnibus ſatisfacere.

Ad Duodecimum, quamvis onera ſuſcepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant, ſi tamen tribuens eleemoſynam pro aliarum Miſſarum celebratione id ſciat, & conſentiat, ut illę tunc demum celebrentur, cùm ſuſceptis oneribus ſatisfactum fuerit, decretum non prohibere, quò minus eo caſu eleemoſyna accipiatur pro jiſdem Miſſis juxta Benefactoris conſenſum celebrandis.

Ad Decimum tertium, has pœnas non habere locum, niſi in ſuſcepturis onera perpetua Miſſarum celebrandarum ſine licentia Epiſcopi, vel ejus Generalis Vicarii, aut Generalis, vel Provincialis.

Ad Decimum quartum comprehendi.

Ad Decimum quintum. Non poſſe, niſi de conſenſu eorum, qui eleemoſynas tribuunt, ut ſupra in reſponſione ad Duodecimum.

Ad Decimum ſextum, comprehendi etiam privatos Sacerdotes.

Ad

Ad Decimum ſeptimum, numeri præfixionem eſſe iterum faciendam, ſervata forma ultimi decreti hac de re editi.

Ad Decimum octavum, eſſe admittendos ad profeſſionem, ſi aliàs habiles exiſtant, ac deinde in aliquo alio Monaſterio ejuſdem Religionis eſſe collocandos, ubi commodè ali poſſint.

Ad Decimum nonum, cenſuit comprehendere.

Ad Ultimum, hâbere locum extra Italiam.

Coſmus Card. de Torres.

Proſper Fagnanus Sac. Cong. Secr.

Cùm autem ſuper præmiſſis diverſi irrepſerint abuſus, illorumque occaſione, quamplures querelæ, & recurſus ad Apoſtolicam Sedem pervenerint; Cupiens eadem Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum *hujuſmodi* deteſtabiles abuſus è Chriſtiana Republica pro viribus evellere, ac opportunè providere, ut ſublatis fraudibus, ac emendata negligentia piæ Diſponentium, ſeu Benefactorum voluntati fides illibata ſervetur, Defunctorum animabus integra, & prompta præſtentur ſuffragia, itidemque Deo major gloria, & Eccleſiis præſtantior cultus reddatur, prævia auctoritate per SS. D. N. Innocentium Divina Providentia

tia PP. XII. ei ſpecialiter attributa inſraſcripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex præfatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, & poſteà in generali hujuſmodi Cardinalium Congregatione maturè, & accuratè diſcuſſa, recognita, & examinata edidit.

In primis, præinſerta decreta cum præmiſſis illorum declarationibus pleniſſimè, & ampliſſimè approbat, confirmat, & innovat, omniaque, & ſingula ibidem contenta, & expreſſa iterum omni meliori modo decernit, ſtatuit, ac ab omnibus, & ſingulis etiam ſpeciali, & individuali nota, ſeu expreſſione dignis penitùs obſervari, & omnimodæ executioni demandari decernit, ſancit, & præcipit.

Inſuper, ut in re tanti momenti conſultiùs, ac majori, ut par eſt, circumſpectione procedatur; Si qui forsan fuerint, vel ſint, qui ſuis pravis, & erroneis intentionibus, ſeu opinionibus blandiri volentes, Miſſarum celebrationem omittunt ſub malitioſa, vel irrationabili ſpe earundem condonationem, vel reductionem à Sede Apoſtolica, vel compoſitionem à Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe obtinendi; Congregatio præfata tum eoſdem,

tum quoſcumque alios, qui poſthac in adeò deteſtabiles abuſus auſi fuerint offendere, certiores fieri, & monitos eſſe voluit, præfatas condonationes, & reductiones ab eadem Sede, non niſi ex rationabili cauſa, ſeu æqua commiſeratione, compoſitiones verò à dicta Fabrica utente ſuis facultatibus, & privilegiis, non niſi ex cauſa pariter rationabili, & cum clauſulis opportunis, & præſertim cum illa: *dummodò malitioſè non omiſerint animo habendi compoſitionem, aliàs gratia nullo modo ſuffragetur*, admitti conſueviſſe, & ſolere; quapropter, ut locus omnis impoſterum hiſce prætextibus præcludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones, ſeu ſpes, ac eleemoſynarum, ſive in toto, ſive in parte verſiones in alium, quàm præfatarum Miſſarum uſum, ſeu ſatisfactionem, & quaſcumque alias directas, vel indirectas, immediatas, vel mediatas contraventiones, ſeu circumventiones declarat prorsùs irrationabiles, injuſtas, & illicitas, illaſque omnino reprobat, damnat, & interdicit.

Cumque hujuſmodi abſurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Miſſarum ſupra vires ſuſcipiantur; caveant omnes, & ſinguli Rectores, Superiores, & Miniſtri quarumcumque

tum

tum Secularium, tum Regularium Eccleſiarum, ſeu illarum Capitula, ne onera, ſeu Miſſas tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum ſatisfactioni impares fuerint, quoquomodo ſuſcipiant, utque idipſum quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, ſemperque in loco magis patenti, & obvio retinere Tabellam onerum perpetuorum, & temporalium literis perſpicuis, & intelligibilibus deſcriptorum, quorum implemento, ſi moraliter, & intra præſcriptum, ſeu breve tempus ſatisfacere non poſſe, ſeu illa duntaxat, & non ulteriora adimplere poſſe crediderint, ſeu credere debuerint, alias Miſſas, ſive perpetuas, ſive temporales, ſive manuales per ſe, vel interpoſitas perſonas quoquomodo recipere, ſeu acceptare omnino deſiſtant, ſeu abſtineant, & ulterius tali caſu in eadem Tabella ſimiliter exprimant ſeſe, propterea aliis Miſſis acceptandis, & celebrandis impares eſſe.

Iidemque teneantur pariter in Sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero ſingula onera perpetua, & temporalia; in altero autem Miſſas manuales, & tam illorum, quàm iſtarum adimplementum, & eleemoſynas diſtinctè, & diligenter annotare, & an-

i 2 notan-

notandas, ſeu annotanda curare, ſingulisque annis de ſupradictis adimplementis, eleemoſynis, & oneribus pariter exactam rationem ſuis Superioribus reddere, ac omnes, & ſingulas rationes hujuſmodi in præfatis reſpectivè libris ſimili diſtinctione, & diligentia, tam præfati, à quibus rationes debent reddi, quàm Superiores, quibus reddendæ erunt, deſcribere, ſeu annotare, ſive deſcribendas, vel annotandas reſpectivè curare.

Quibus ſemper ſalvis, debeant ulterius Regulares prædicti, omnes, & quaſcumque eleemoſynas tum manualium, tum perpetuarum, & temporalium Miſſarum reponere in capſa particulari ſub duabus clavibus, quarum vna penes Superiorem localem, altera verò penès alium à Capitulo Conventuali deputandum retineatur, ac de jiſdem eleemoſynis, & celebratione Miſſarum coram Patribus Diſcretis, ſeu Conſiliarijs, vel alio ſimili modo nuncupatis ſingulis menſibus diſtrictam rationem, exigere, & reſpectivè reddere.

Quòd ſi prædicti, ad quos cura Tabellæ Capſæ, & librorum pręfatorum reſpectivè pertinet, ſeu pertinere debet, ſuam operam pręmiſſis, ut præfertur, minimè navaverint, & Superiores, tum

Secu-

Secularium, tum Regularium Eccleſiarum rationem prędictam non exegerint, ſeu non invigilaverint, quòd prę̨fati, qui in curam Tabellarum, & librorum incumbunt ſuo muneri, ut præfertur, ſatisfaciant, in ſingulis reſpectiuè caſibus Seculares pœnam ſuſpenſionis incurrant; Regulares verò voce activa, & paſſiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent ipſo facto, & abſque alia declaratione privati ſint, & intelligantur, necnon ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda ſimiliter inhabilitentur, & inhabilitati ſint, & intelligantur.

Porrò, ne ullo unquam tempore omnia, & ſingula decreta prædicta in oblivionem, ſeu deſuetudinem abeant, Rectores, Superiores, ſeu Capitula Eccleſiarum Secularium illa retineant publicè expoſita in eorum Sacrario; Superiores verò Locales cujuſcumque Monaſterii, Conventus, ac Domus Regularis curare, & efficere teneantur ſub pœna privationis officiorum, quę obtinent, vociſque activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrenda, ut in perpetuum ſexto quoque menſe, ideſt feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus, & feria ſexta poſt Octavam Corporis Chriſti omnes, & ſingulæ præmiſſę tum inſertæ, ſeu confirmatæ, tum in præſens

factæ Ordinationes, unà cum dictis declarationibus in publica Menſa perlegantur.

Meminerint igitur, & ſatagant Ordinarii, ut à perſonis, & in Eccleſiis quoquomodo etiam in vim decretorum Concilii Tridentini ſibi ſubjectis, Miſſę ea, qua par eſt, fide, & diligentia celebrentur, & cuncta, & ſingula decreta hujuſmodi omnimodæ executioni demandentur, nedum juſtitiam recurrentibus, ſeu inſtantibus reddentes, ſed ex officio tum in Viſitationibus, tum in aliis actibus, & modis, quos expedire, & convenire toties, quoties judicaverint inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his omnibus, & ſingulis decretis adverſetur.

Caveant etiam reſpectivè omnes Regulares tum Subditi, tum Superiores quicumque, nedum locales, ſed etiam Provinciales, & Generales, ne Miſſarum celebratio, & omnium decretorum præmiſſorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum præjudicio illarum, quibus Miſſæ ſunt applicandę, & cum magno Chriſti fidelium ſcandalo quoquomodo omittantur, differantur, negligantur, ſeu pervertantur, alioquin ultra proprię conſcientię oneratio-

rationem, pœnam privationis vocis activę, & paſſivę, ac graduum, & officiorum, quę obtinent, necnon inhabilitationis ad hujuſmodi gradus, & officia obtinenda prorſus incurrant.

Curent propterea prę fati Superiores Regulares in omnes, & ſingulos Contravenientes debitis pœnis diligenter, & promptè etiam per inquiſitionem animadvertere, & inſuper teneantur omnes, & ſinguli Superiores locales in Provincialibus Capitulis, ſeu Congregationibus exhibere atteſtationem, ſeu fidem ab omnibus Sacerdotibus Conventus, Monaſterii, ſeu cujuſcumque Domus regularis ſubſcriptam, & juratam, quòd omnibus, & ſingulis tum perpetuis, tum manualibus Miſſarum oneribus, ſeu obligationibus ad limites, & tenorem prę ſentium decretorum tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter ſatisfactum, vel deficiente aliqua modica ſatisfactione, poſſit etiam hujuſmodi reſiduali implemento Miſſarum diſtinctè referendarum intra breve tempus moraliter ſatisfieri, ea adjecta, & omninò adimplenda conditione, quòd ante prę fatę atteſtationis exhibitionem quicumque Superiores locales prędicti vocem activam, ſeu paſſivam in memoratis Capitulis, ſeu

Congregationibus omnino habere non valeant.

Prȩterea Provinciales, Vicarii, & Viſitatores Provinciarum, ſeu Congregationum debebunt in fine eorum regiminis Superioribus Generalibus in forma probante oſtendere, quòd executioni prȩſentium decretorum ſedulò invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & ſingulis Conventibus, ſeu Monaſteriis, vel Domibus Regularibus Provinciȩ, ſeu Congregationis de omnibus, & ſingulis oneribus, & obligationibus, ac inſimul ſatisfactionibus Miſſarum exactam, & diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem reſpectivè pœnarum in decretis contentarum proceſſerint, & de adimplemento circa ea, quȩ in prȩmiſſis ad ipſos ſpectant legitimè docuerint, aliàs ad vocem activam, & paſſivam in Capitulis Generalibus nullatenus admittantur.

Cȩterum, quia etiam ad quamplures Archiconfraternitates, Confraternitates, Societates, Congregationes, Hoſpitalia, Altaria, Cappellas, Oratoria, & Eccleſias, ac alia loca, & opera pia quomodolibet nuncupata, quȩ cuicumque curȩ, ſeu regimini, aut adminiſtrationi, vel directioni Laicorum cuiuſ-

Digitized by Google

cujuslibet gradus, ſtatus, conditionis, & prçeminentię etiam ſpeciali, & individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumq; Eccleſiaſticorum, & Laicorum hujuſmodi mixtim commendata, annexa, ſeu quomodocumque commiſſa, vel attributa ſunt, onus, ſeu cura celebrationis Miſſarum, ſive manualium, ſive ad tempus, vel in perpetuum pertinet; Hinc ſalvis ſemper jis, quę in prçinſertis decretis continentur omnes, & quicumque hujuſmodi Archiconfraternitatum, Societatum, Congregationum, Hoſpitalium, Altarium, Cappellarum, Oratoriorum, & Eccleſiarum, ac aliorum locorum, & operum piorum Rectores, ſeu Adminiſtratores, vel Directores, & alii hujuſmodi Officiales, nec non ji, ad quos Cura Tabellę, & librorum in præmiſſis ſpectat, Tabellam, libros, & hæc decreta reſpectivè juxta modos ſuperiùs expreſſos, ſimiliter retinere, nec non de oneribus, ac celebrationibus, & eleemoſynis dictarum Miſſarum ſingulis annis rationem exigere, & reſpectivè js, ad quos pertinet, reddere ſub pœnis arbitrio, & in ſubſidium excommunicationis teneantur.

Poſtremo omnibus, & quibuſcumque tam Eccleſiaſticis perſonis cujuſ-

Digitized by Google

cumque Ordinis, ſtatus, gradus, Regulæ, Congregationis, Societatis, conditionis, & dignitatis exiſtant, quàm Laicis quocumque honore, ac poteſtate præditis omnia, & ſingula præmiſſa decreta interpratandi, nec non Eccleſiaſticis prædictis pœnas in hujuſmodi decretis relaxandi, ſeu quoquo modo circà præmiſſa diſpenſandi; omnis, & quæcumq; facultas ſit penitus interdicta.

Non obſtantibus quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in hujuſmodi decretis contenta; Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in favorem, quarumcumque perſonarum, atque Ordinum tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum etiam S. Joannis Hieroſolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius Inſtituti etiam neceſſario, & in individuo exprimendi, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Conventuum, Collegiorum, Capitulorum, Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam Secularium, quàm Regularium locorum, nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis etiam Mari

magno,

Digitized by Google

magno, ſeu Bulla aurea, aut aliàs nuncupatis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliiſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus decretis etiam Motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis ſpecialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſervanda eſſet, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habens, quibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur illis aliàs in ſuo robore permanſuris, Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate ſpecialiter, & expreſsè derogat, cæteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ die 23. Novembris 1697.

Joſeph Card. Sacripantes Præfect.

Ferdinandus Nuptius Sac. Congr. Secr.

Quocirca, cùm dilectus filius noſter Joſeph Tituli S. Mariæ Tranſpontinæ S.R.E. Presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratæ Congregationis Præfectus, præfata decreta nobis retulerit, Nos conſiderantes eadem omnia, & ſingula decreta, ea qua decet maturitate digeſta, & examinata, ac in vim Apoſtolicæ auctoritatis, eidem Congregationi ſpecialiter, ut præfertur, attributæ peracta, perutilia fore cenſentes, illaque propterea perpetuò, & inviolabiliter obſervari, necnon Conſtitutionis noſtræ munimine roborare volentes. Motu proprio, non ad cujuſquam Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa ſcientia, & matura deliberatione, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine prçinſerta decreta, omniaque, & ſingula in eis contenta tenore præſentium auctoritate Apoſtolica confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis, & irrefragabilis Apoſtolicæ firmitatis robur, & efficaciam adiicimus, quinimò motu, ſcientia, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus omnia, & ſingula in ſupradictis decretis contenta, de novo ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuſcumque, etiam ſpeciali, & individua nota dignis omnino

nino exactè, & perpetuò ſervari volumus, ſancimus, & mandamus. Decernentes præſentes literas, cum omnibus, & ſingulis inibi contentis ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque, & quomodocumque ſpectabit in omnibus, & per omnia pleniſſimè, & inviolabiliter obſervari, ſicque, & non aliter per quoſcumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate, præeminentia, aut poteſtate fungentes, & functuros, etiam cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac ejuſdem S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit, attentari.

Non obſtantibus omnibus, & ſingulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejuſdem recordationis Urbanum Papam VIII., & reſpectivè per Nos illi ſpecialiter attributa, decrevit non obſtare, quæ pariter, & iterum

Nos

Nos tenore præſentium non obſtare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præſentibus adverſantur, illis, aliàs in ſuo robore permanſuris, etiam harum ſerie pleniſſimè, ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem, ut præſentes literæ in valvis Eccleſiæ Lateranenſis, ac Baſilicæ Principis Apoſtolorum, nec non Cancellariæ Apoſtolicę, Curięque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris eſt publicentur, & affigantur, ſicque publicatæ, & affixæ, omnes, & ſingulos, quos illæ concernunt perinde arctent, & afficiant, ac ſi unicuique eorum perſonaliter intimatę fuiſſent.

Pariterque, ut earumdem pręſentium tranſumptis impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quę pręſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę.

Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc noſtrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei auſu temerario con-

traire.

traire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ ejus ſe noverit incurſurum.

Dat. Romę apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicę 1697. decimo Kal. Januar. Pontificatus Noſtri Anno ſeptimo.

B. Card. Prodat. I. F. Card. Albanus.
Viſa de Curia I. Ciampinus.
I. Catallus.
Regiſtrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate D. N. Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octavo Indictione ſexta, die verò tertia Ianuarii, Pontificatus autem Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & D. N. D. Innocentii divina Providentia PP. XII. anno ſeptimo; ſupradicta Conſtitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Baſilicarum S. Ioannis Lateran. Principis Apoſtolorum, Curiæ Innocentianæ, Cancellariæ Apoſt. in acie Campi Floræ, & in aliis locis ſolitis, & conſuetis Urbis, per me Ioannem Baptiſtam de Cappellis ejuſdem Sanctiſs. Domini Noſtri Papæ Curſorem.

Franciſcus Antonius Simoncellus
Mag. Curſ.

Decre-

DECRETUM.

Circa tres Miſſas, & Communionem Fidelium in Nocte Nativitatis Domini.

PISAURENSI.

PAtres S. Caroli Congregationis Clericorum Regularium, petierunt reſponderi. An liceat in Nocte Nativitatis Domini poſt cantatam primam Miſſam, alias duas immediatè celebrare, & communicare fideles, & Sacra Congregatio reſpondit; nullo modo licere, ſed omninò prohibetur. Die 20. Apr. 1664.

Trium Miſſarum in Nocte Nativitatis Domini.

CUM Superioribus diebus conſulta hac Sacra Rituum Congregatione, An eſſet permittendum celebrari in media Nocte Nativitatis Domini poſt Miſſam decantatam ſucceſſivè alias duas Miſſas, & in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam depoſcentibus, ac reſpondiſſet, non eſſe permittendum, ſed omnibus utrumque prohibendum. Nihilominus nonnulli Regulares aſſerentes hoc licere, ſupplicarunt audiri, & Sacra Congregatio ipſis auditis, cum Procuratoribus, & Advocatis, ad relationem Eminentiſs. Pallotti ſtetit in Decretis, & reſpondit iterum prohibendum,

Digitized by Google

dum, tam Sacerdotibus celebrare volentibus, quàm confluentibus in media nocte ad Eccleſias, & Communionem depoſcentibus. Die 7. Decemb. 1641. quorum Decretorum duplicata, expedita fuerunt. Die 9. Auguſti 1653.

C. Epiſc. Oſtien. Card. Medices.

Loco † Sigilli.

B. Roccius Sac. Rit. Congr. Sécr.

In Regeſt. fol. 44.

DECRETUM

De Celebratione Miſſæ Fer. v. in Cœna Domini, & repoſitione Sanctiſſimi in Sepulchro.

NEAPOLITANA.

INſtitit Vicarius Generalis Eminentiſsimi Archiepiſcopi Neapolitani à Sac. Rituum Congregatione declarari. An liceat in Eccleſiis, in quibus non aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, celebrari Miſſam Feria v. in Cęna Domini, & in Sepulchro idem Auguſtiſſimum Sacramentum aſſervari. Et Sacra eadem Congregatio reſpondit. Non licere. Die 24. Iunii 1659.

I. Epiſc. Sabinen. Card. Sacchettus.

Franc. M. Phœbeus Sac. Rit. Cong. Secr.

Quoad Sepulchra in Oratoriis, ſeu Congregationibus Regularium extant literæ ejuſdem Sac. Congreg. ſub die 8. Iunÿ 1669. ut in Arch. Sac. Congr. Rit.

DE-

DECRETUM

Sacræ Congregationis Concilii ſuper applicatione Sacrificii a Parochis.

IN LUCANA.

CUM præcepto Divino iis, quibus Animarum cura commiſſa eſt, mandatum ſit pro Ovibus ſuis Sacrificium offerre, ſępe aliàs Sacra Congr. Concilii cenſuit, Parochos teneri pro Parochianis Sacrificium applicare, atque ea cum diſtinctione, ut ſi redditus pingues ſint, ſingulis diebus, ſi verò tenues ſaltem diebus feſtivis. Idem nunc cenſet quoad Parochos iſtius Civitatis, & Diœceſis &c. Romæ 10. Maii 1681.

F. Card. Columna.

Steph. Archiep. Brancaccius S. C. Secr.

Et hoc etiam habetur ex Trid. ſeſſ. 23. *de refor. Sac. Cong. Conc. in Civit. Caſtellan.* 26. *Aug.* 1628. *&* 1. *Septemb.* 1629. *ac Hydruntin.* 13. *Februarii* 1639. *Romana* 17. *Iulii* 1649. *Cluſin.* 5. *Iulii* 1670.

DECRETUM GENERALE.

De Reliquiis Inſignibus.

CUM Sac. Rituum Congregationi innotuerit, quamplures abuſus irrepſiſſe circa recitationem Officii, ſub prætextu decreti ab eadem Congregatione

tione evulgati de anno 1630. & in Breviario Romano impreſſi, in quo permittitur, poſſe in Eccleſia recitari Officia, & Miſſas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, aut Reliquiæ inſignes in ea aſſervantur: Eminentiſſimi Patres eidem Sacræ Congregationi Præpoſiti iiſdem abuſibus evellendis præcipuè intenti, inhærendo decretis alias in ſimilibus editis, declararunt prædicta Officia Sanctorum ratione Corporis, ſeù inſignis Reliquiæ recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano deſcriptis, & dummodò conſtet de identitate Corporis, ſeù Reliquiæ inſignis illiuſmet Sancti, qui reperitur in Martyrologio Romano deſcriptus. De cęteris autem Sanctis in prædicto Martyrologio non deſcriptis, aut quibus à Sancta Sede non fuit ſpecialiter conceſſum, Officia recitari, & Miſſas celebrari vetuerunt, non obſtante, quod ipſorum Corpora, vel inſignes Reliquiæ in Eccleſiis aſſerventur: Quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debitam Fidelium venerationem [prout hactenus ſervatum eſt] exhibendam eſſe cenſuerunt, ſed abſque Officio, & Miſſa, ſub pęnis de non ſatisfaciendo pręcepto recitandi Officium, aliiſque in Conſtitutione Beati

Pii

Digitized by Google

Pii V. contentis die 11. Auguſti 1691.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua hujuſmodi decretum approbavit, ac ut debitæ exequutioni demandetur, locorum Ordinariis injungendum eſſe præcipit die 19. Octobris ejuſdem anni 1691.

A. Card. Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

B. Ingbiramus Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETUM

Alexandri VIII. circa translationem Feſti Annunciationis B. Virginis, & Miſſas privatas in Sabbato Sancto.

CUM Sabbato Sancto proximè futuro occurrat Feſtum Annunciationis B. M. V. dubitatum fuit, an debeant celebrari Miſſæ privatæ ad effectum, vt Chriſti fideles commode ſatiſfacere poſſint præcepto audiendi Miſſam. Et Sac. Rituum Congregatio ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Cardinalis Colloredi, re maturè perpenſa, cenſuit prædictum Feſtum Annunciationis, unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus in Eccleſia Univerſali transferri debere ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, protractis omnibus aliis

Feſtis

Feſtis, quæ non ſunt altioris ritus ad aliam diem, juxtà rubricas Breviarii Romani. Celebrationem quoque Miſſarum dicto die Sabbati Sancti omninò prohibendam in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium, & unicam Miſſam Conventualem, unà cum officio ejuſdem Sabbati Sancti celebrandam fore præcepit, ſi SS. D. N. placuerit, hac die 11. Febr. 1690.

Et facto de prædictis per me Secretarium verbo cum Sanctiſſimo, Sanctitas Sua benignè annuit, ſenſum Sacræ Congregationis approbavit, ac præſens Decretum edi, & imprimi mandavit, hac die 12. Februarii 1690.

A. Card. Cybo.

Loco † Sigilli.

Laur. Fliſcus Secr.

ALIUD DECRETUM.

ſuper idem.

SAcrorum Rituum Congreg. ad tollenda dubia exorta ſuper celebratione Feſti Sanctiſſimæ Annunciationis B. M. V. in Feria 6. Paraſcevæ, vel in Sabbato Sancto occurrentis, declarando Decretum editum die 11. Februarii prædicti, decrevit Feſtum Annunciationis in caſu propoſito, unà cum præcepto audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus

ribus in Eccleſia Univerſali transferri debere ad Feriam ſecundam poſt Dominicam in Albis, etiam quocumque alio Feſto impeditam, itaut eadem Feria prædicto caſu eveniente perpetuis futuris temporibus pro Sede propria, fixa memorato Feſto Annunciationis aſſignata, & ſtabilita intelligatur, & in illa eo prorsùs modo, & forma præfatum Feſtum quoad officium, & Miſſam celebretur, quibus propria die 25. Martij in Kalendario Romano appoſitum celebraretur, protractis ad aliam diem non impeditam, juxtà Rubricas Breviarii Romani omnibus aliis Feſtis in eadem Feria occurrentibus, quæ non ſint altioris ritus. Ac ita declaravit, & ſi Sanctiſſimo placuerit ſervari præcepit.

Firmo in reliquis remanente prædicto Decreto edito die 11. Febr. nempè quod in Sabbato Sancto celebrationes Miſſarum privatarum omninò prohibeantur in quibuſcumque Eccleſiis, & Oratoriis privatis, non obſtante quacumque contraria conſuetudine, & unica tantùm Miſſa Conventualis, unà cum Officio ejuſdem Sabbati Sancti celebretur. Die 11. Martii 1690.

Et facta de prædictis Sanctiſſimo per me Secretarium relatione, Sanctitas Sua

annuit,

annuit, prædictamque declarationem laudavit, & approbavit, ac præſens Decretum imprimi, & evulgari mandavit, die 11. Martii 1690.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

Laur. Fliſcus Secret.

DECRETUM GENERALE.

De Feſtivitate S. Ioſephi occurrente in feria quinta majoris hebdomadæ.

CUM anno proximè venturo occurrat Feſtum S. Joſephi in feria v. majoris hebdomadę, exortum fuit dubium attenta univerſali conſuetudine Eccleſię celebrandi eo die vnam tantùm Miſſam, an vnà cum Officio ipſius S. Joſephi transferri debeat anno prędicto etiam obligatio audiendi Miſſam, ac vacandi ab operibus ſervilibus; Dubioque hujuſmodi in Sacrorum Rituum Congregatione propoſito, eadem Congregatio ad relationem Eminentiſs. & Reverendiſs. D. Card. Albani re maturè diſcuſſa cenſuit Officium transferendum eſſe ad aliam diem juxta Rubricas Breviarii Romani, & decreta ipſius Congregationis; cęterum pręceptum audiendi Miſſam, & vacandi ab operibus prędictis non eſſe transferendum,

ſed

ſed ſervandum eſſe in prędicta feria v. Majoris hebdomadę; adeoque per Ordinarios locorum accuratè providendum, ut eo die aliquę quidem Miſſę privatæ ante celebrationem ſolitæ Miſſę Conventualis celebrandæ pro præcepti adimplemento non deſint, ſed tamen propterea antiquus mos Communionis Cleri in Miſſa ſolemni ejus diei, quo Eccleſia Sanctiſſimi Euchariſtię Sacramenti inſtitutionem, & memoriam recolit, ſumma religione hactenus detentus, nullatenùs omittatur, & ita declaravit, ac decretum hujuſmodi publicari, & imprimi mandavit. Die 13. Septembris 1692.

A. Epiſc. Oſtien. Card. Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

I. Vallemanus Sac. Rit. Congr: Secr.

DECRETUM.

De non anticipanda Vigilia S. Matthiæ ratione carnis privii.

QUæſitum fuit, à Sacrorum Rituum Congregatione declarari; An Vigilia S. Matthiæ Apoſtoli, occurrens hoc anno in Feria tertia poſt Dominicam Quinquageſimæ, poſſit ratione carnis privii anticipari cum jejunio. Et eadem Sacra Congregatio reſpondit, Nega-

Digitized by Google

Negativè, & jejunium prędicta Feria tertia omninò ſervandum. Die 23. Januarii 1694.

A. Cardinalis Cybo.

Loco ✠ Sigilli.

B. Inghiramus Sac. Rit. Congr. Secr.

DECRETO
Del Sagro Concilio di Trento.

Contro quelli, che occupano. ò uſurpano Beni Eccleſiaſtici.

SE l'Avarizia radice d'ogni male occuperà in tanto qualſivoglia Chierico, o Laico di qualunque dignità, o grado ſi ſia, benche Imperiale, o Regale, che per ſe, o per interpoſte Perſone, e ſotto qualſivoglia preteſto, o queſito colore avrà ardire di uſurpare, e convertire in uſi proprii le giuriſdizioni, Beni, Cenſi, e Ragioni feudali, & enſiteotiche, Frutti, & Emolumenti di qualſivoglia ſorte delle Chieſe Secolari, o Regolari, Beneſizii, Monte di Pietà, o altri Luoghi; o vero impedirà, che li detti beni, frutti, & emolumenti per forza, o per timore non pervengano a quelli, che di ragione ſi devano; ſia per tanto tempo ſoggetto alla Scommunica maggiore, ſin tanto, che dette Giuriſdizioni, Frutti, Beni, & Emolu-

 menti

menti da lui occupati, reſtituirà intieramente all'Amminiſtratori, Rettori, o Benefiziati delle Chieſe, alle quali ſono ſtati uſurpati, e doppo ne otterrà anche l'aſſoluzione dal Pontefice Romano; e ſe l'Uſurpatore delle coſe predette avrà il Juſpadronato in quella Chieſa, della quale avrà uſurpato, & occupato i beni, oltre le pene predette, reſti ancora privato del juſpadronato, ipſo facto.

I Chierici poi, che ſaranno Autori, o conſenzienti di queſta nefaria uſurpazione, e fraude, ſiano ſottopoſti alle pene predette, & in oltre privati di tutti i loro benefizii, e reſi inhabili ad ottenerne degl'altri. Di più doppo, che avranno fatta la reſtituzione, & ottenuta l'aſſoluzione, ſiano ancora ſoſpeſi dall'eſecuzione degl'ordini, ad arbitrio del loro Ordinario.

E queſti ſono anche compreſi nel §. 17. della Bolla in Cena Domini.

Eſtendendo il tutto anche contro quelli, che in qualſivoglia modo ardiſcono eſeguire, procurare, o dare nelle predette coſe conſiglio, ajuto, o favore, con riſerva dell'aſſoluzioe alla Santità Sua, come più ampiamente nella ſudetta Bolla.

COM.

COMPENDIO
Della Bolla del B. Pio V.

Sopra il modo, e forma di creare Cenſi.

ORdinò queſto Pontefice, che i Cenſi redimibili non ſi poteſſero creare, ſe non ſopra coſa ſtabile, circoſcritta con i ſuoi certi confini, e di ſua natura fruttifera.

Che nell'atto della celebrazione dell'iſtromento, ſi faccia lo sborſo reale del denaro, e del prezzo, preſente il Notaro, e Teſtimonii.

Proibiſce i pagamenti anticipati, cioè lo sborſo del prezzo avanti la ſtipulazione dell'iſtromento, e l'obligazione per i caſi fortuiti di quello, che per natura del contratto non è obligato.

Proibiſce i patti, che tolgono la facoltà di alienare la coſa cenſuata; Vuole anche, che in caſo d'alienazione della coſa cenſuata, ſia preferito il Padrone del Cenſo.

Vuole, che non ſi poſſa patteggiare atto pregiudiziale alcuno contro il Debitore moroſo del Cenſo.

Proibiſce, che non ſi poſſa, nè accreſcere, nè crear nuovo Cenſo con li frutti, nè imporvi peſi non ſoliti.

Digitized by Google

Vuole, che il Cenſo periſca pro rata della coſa cenſuata fatta infruttifera, o perita, e che ſi poſſa ricomprare ſempre precedente l'intimazione per due Meſi avanti, & in tal caſo frà il termine di un'anno anco ſi poſſa ripetere, etiam ab invito.

Et in ogn'altro caſo proibiſce il patteggiare d'eſſer obligato a redimerlo.

Dichiara, che li contratti, che ſi celebreranno in altra forma doppo la detta Bolla, ſiano Uſurarii, e ſe accadeſſe, che contro queſti Ordini qualche coſa ſi aggiungeſſe, o ſminuiſſe, ſi applichi come coſa propria al Fiſco.

E le coſe ſopradette l'eſtende ancora alli Cenſi già creati d'alienarſi in qualſivoglia tempo, e proibiſce il creſcere, o ſminuire il prezzo una volta coſtituito, e determinato.

Eſorta tutti, che li contratti de' Cenſi ſin'all'ora celebrati, ſi pongano all'arbitrio de' Religioſi.

S O M M A R I O
Della Bolla di Siſto V.

Sopra li Contratti illeciti.

LA fel. mem. di Siſto V. avendo inteſo il contagioſo morbo de' falſi, & ingiuſti Contratti, che in molte parti del

del Mondo ſi facevano; acciò più largamente ſerpendo non ſi dilataſſe per tutto, & infettaſſe tutta la greggia, dannò, e riprovò tutti, e ciaſchedun Contratto, convenzione, o patto, dove ſotto nome di compagnia ſi danno da alcuni denari, animali, o qualſivoglia altra coſa, quale ancorche per caſo patiſſe danno, o periſſe affatto, vogliano ad ogni modo, che la ſorte principale, o Capitale reſti ſalvo, & intiero, e ſia obligato il compagno, che l'hà ricevuto, a reſtituirglielo, o riſpondergli una certa ſomma, o quantità di denari ogni Meſe, o vero ogn'Anno, fin che dura detta Compagnia.

O vero danno ſimili coſe con patto di avere ogn'Anno un tanto per cento, ſenza aver riguardo all'emolumento, o danno, che riceveſſe in quell'Anno il compagno; e dichiarando Sua Santità ſimili Contratti, Convenzioni, o Patti uſurarii, & illeciti, ordina, che da quì avanti non ſi faccino ſimili compagnie, ma più toſto ſi facciano in queſto modo.

Che uno vi metta i denari, o animali, o altra robba, ſenza riſervarſi l'integrità del Capitale, ſe per caſo periſſe, ma ſtia ſoggetto ad ogni caſo fortuito; e l'altro la fatica, & induſtria,

poi tutti due mettano inſieme la rendita, le ſpeſe, & i danni, e come il giuſto, & oneſto richiede, ſe li dividano, o partano egualmente; o pure ſi facciano altri Contratti conformi a' Sagri Canoni, che queſto ſarà lontano da ogni ſoſpetto di fraude, & uſura. Vero è, che ſe finita la Compagnia il Capitale foſſe in eſſere, ſi hà da reſtituire a chi lo diede, ſe però non ſarà ſtato fatto commune trà i Compagni, o tra di loro non ſi ſarà fatto altro accordo, che in tal caſo ſi hà da ſtare alli patti fatti, ſe non ſaranno contrarii alli modi, che preſcrivono i Sagri Canoni &c.

Se ſuccedeſſe, che per l'avvenire ſi faceſſero ſimili contratti, e patti uſurarii, & illeciti, vuole, e ſtatuiſce Sua Santità, che in oltre, che non poſſono domandare coſa alcuna in giudizio, ne Capitale, ne altro, incorrano anche nelle pene ſtatuite ne' Sagri Canoni, e Concilii Generali contro i manifeſti Uſurarii, e come contro tali ſi poſſa procedere con opportuni rimedii, dando facoltà a tutti i Giudici di giudicarli, e punirli, conforme a queſt'ordine, levandola a tutti (ancorche ſiano Cardinali) di giudicarli altrimente, dichiarando irrito, e nullo ogn'altro giudizio.

SOM-

Digitized by Google

SOMMARIO
Della Bolla del B. Pio V.

Circa l'obligo de' Medici, de' Parenti, e Familiari degl'Infermi, d'ammonire li medeſimi di confeſſarſi ſecondo il rito di Santa Chieſa.

INnocenzio III. di fel. mem. Predeceſſore Noſtro comanda alli Medici, che, quando ſaranno chiamati a gl'Infermi, prima d'ogn'altra coſa gli ammoniſcano di far chiamare i Medici dell'Anima, affinche differendo di avvertirli di ciò ſino all'eſtremo punto delle malattia, non cadano in diſperazione.

Perciò volendo Noi, che un si ſalutevole Precetto non ſi aboliſca da qualſivoglia lunghezza di tempo, ma al contrario, che ſempre s'oſſervi, con queſta noſtra Coſtituzione innoviamo quella del detto Noſtro Predeceſſore, & ordiniamo, che tutti li Medici, quando ſaranno chiamati a gl'Infermi giacenti in letto, avanti ogn'altra coſa gli ammoniſcano di confeſſare tutti i ſuoi peccati ad un Confeſſore idoneo, ſecondo il rito della Santa Romana Chieſa, nè doppo il terzo giorno li viſitino, fuor che in caſo il Confeſſore per qualche

cauſa ragionevole aveſſe lor conceduto un tempo più lungo, in che Noi aggraviamo la di lui coſcienza, ſe non apparirà a loro per una atteſtazione in iſcritto fatta dal Confeſſore, che gl'Infermi abbiano già confeſſati i peccati loro nella maniera già detta.

Eſortiamo, & ammoniamo, tutt li Parenti, familiari, e domeſtici dell'Infermo di notificare al Parocho l'infermità, e tanto il Paroco, quanto li Parenti, e familiari conſeglino, & inducano l'Infermo a fare la Confeſſione de' peccati.

Se alcuni Medici non oſſerveranno quanto di ſopra, oltre la pena dell'interdetto d'entrare in Chieſa, ſiano perpetuamente infami, e ſi privino affatto del grado di Medicina, col quale erano onorati, ſi caccino dal Collegio, o univerſità de' Medici, e ſi multino ancora con pena pecuniaria ad arbitrio degl' Ordinarii de' luoghi, dove averanno delinquito.

LET-

LETTERA CIRCOLARE

Della Sagra Congregazione de' Veſcovi, e Regolari.

A tutti gl'Ordinarii per la publicazione & oſſervanza della ſudetta Bolla.

Eminentiſs. e Rev. Sig. mio Oſſerv.

IL Paterno zelo di N. Sig. indefeſſamente applicato a ciò, che può ridondare in benefizio, e ſalute de' ſuoi Fedeli, non hà potuto ricevere, che con particolar ſentimento dell'animo ſuo le notizie pervenutegli, che in molte Dioceſi non viene oſſervata la diſpoſizione della Coſtituzione terza della ſa. me. del Beato Pio V. che comincia: *Supra Gregem Dominicum &c.* circa l'amminiſtrazione del Sagramento della Penitenza a gl'Infermi, la preciſa proibizione, che hanno i Medici di poter viſitare i medeſimi doppo il terzo giorno, ſe eſſi non ſi saranno confeſſati, e l'obligo, che tengono i Parenti, e familiari di avviſare i Parochi delle infermità de' loro Congionti, e domeſtici; Onde volendo Sua Santità rimediare a sì pernicioſo abuſo ridondante in grave pregiudizio della ſalute dell'anima, e del corpo, mentre dal peccato derivano

 molte

molte volte l'infermità corporali, vuole, & eſpreſſamente comanda a tutti gl'Ordinarii de' luoghi, che facciano eſattamente oſſervare quanto providamente ſi diſpone nella predetta Coſtituzione della ſa. me. del B. Pio V. ordinando, che venga ogni anno publicata, tanto da' Parochi, che da' Predicatori ſotto le pene in eſſa contenute, & altre ad arbitrio della Santità Sua: Farà però V.E. dare eſecuzione pronta a queſta ſanta Ordinazione di Sua Beatitudine, e bacio a V. E. umiliſſimamente le mani. Roma 30. Settembre 1682.

D.V.E.

Uumill. & Divot. Servitore
C. Card. Facchinetti.
B. Panciatici Segr.

MANDATUM
Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Domini D. Archiepiſcopi Ducis Cameracenſis, Sacri Romani Imperii Principis, Comitis Cameracenſis &c.

Datum Cameraci die 9. Apr. 1699.

Franciſcus Miſeratione Divina, & S. Sedis Apoſtolicæ gratia Archiepiſcopus Dux Cameracenſis, Sacri Romani Imperii Prin-

Princeps, Comes Cameracenſis &c. Clero Sæculari, & Regulari noſtræ Diœceſis ſalutem, & benedictionem in Domino.

VObis, Fratres Cariſſimi, nos totos debemus, quippe non jam noſtri, ſed gregi credito devoti ſumus. *Servos autem veſtros per Ieſum.* Sic affecti, quæ nos attinent ſuper libello, cui titulus, *Placita Sanctorum explicita*, apertis præcordiis hic exponendum eſſe arbitramur.

Tandem opuſculum cum 23. Propoſitionibus excerptis damnatum eſt Brevi Pontificio Martis die 12. dato, quod jam vulgatum legiſtis.

Cui quidem Brevi Apoſtolico, tam de libelli contextu, quàm de 23. Propoſitionibus ſimpliciter, abſolutè, & abſque ulla reſtrictionis umbra adhærentes, libellum cum 23. Propoſitionibus eadem præciſe forma iiſdemque qualificationibus ſimpliciter, abſolutè, & abſque ulla reſtrictione condemnamus. Inſuper & eadem pœna prohibemus, ne quis hujus Diœceſis libellum aut legat, aut domi ſervet.

Cæterùm, Fratres Cariſſimi, quamquam humiliatur Miniſter, haud deerit ſolatium, modo verbi miniſterium, quod accepit à Domino ad ſanctificationem

 ve-

Digitized by Google

veſtram, non ſordeſcat in illius ore; neque eò minùs grex apud Deum gratiâ creſcat.

Porrò vos omnes ex animo adhortamur ad ſinceram ſubmiſſionem, & intimam docilitatem, ne ſenſim marceſcat illa erga Sedem Apoſtolicam obedientiæ ſimplicitas, in quâ præſtandâ, Deo miſericorditer adjuvante, ad extremum uſque ſpiritum vobis exemplo erimus.

Abſit ut unquam noſtri mentio fiat, niſi forte ut meminerint aliquando fideles Paſtorem infimâ gregis ove ſe dociliorem præbendum duxiſſe, nullumque obedientiæ limitem fuiſſe poſitum.

Oro, Fratres Cariſſimi, ut *gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, Charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti maneat cum omnibus vobis.* Amen.

Signatum. ✠

Franciſcus Archiep. Dux Cameracenſis.

De Mandato Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. mei. *Des Anges Secret.*

DECRETUM

De Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ.

Corporis Chriſti Feſtivitas, ſi incidat in Vigiliam S. Joannis Baptiſtæ prout incidit de anno 1639. non eſt in ea

ea jejunandum, ſed anticipandum jejunium die antecedenti. Urban. VIII. Conſt. ſua incipit, *Cùm evenire*, 14. Octobris 1638.

DECRETUM

De intelligentia juxta ſenſum obvium, & non alium Formularii in condemnandis propoſitionibus Ianſenii.

Feria v. Die 28. Januari 1694.

In Congregatione Generali S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis abita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. D. Innocentio Divina Providentia Papa XII. ac Eminentiſſimis, & Reverendiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus à S. Sede Apoſt. ſpecialiter deputatis.

SAnctiſſimus D. N. Innocentius Duodecimus prædictus, auditis votis eorumdem DD. Cardinalium, ad præcavendas omnes diſſidiorum cauſas, quæ Chriſtianam pacem dilacerant tam verbis, quàm ſcriptis ſuper interpretatione, ſeu declaratione Formularii Alexandri Septimi in condemnatione quinque propoſitionum ex Libro Cornelii Janſenii, cui titulus eſt -- *Auguſtinus* -- excerptarum

ptarum, & damnatarum, quoſcumque alios ſenſus Formularii prædicti, præter eum, quem in ſenſu obvio ipſius verba exhibent, afferri, uſurpari, aut de his diſputari interdixit, & prohibuit, ac ſuper ejuſdem Formularii interpretatione, ſicut & prædictarum propoſitionum, in alios ſenſus, præter eum, quem ipſa verba per ſe exhibent, omnibus, & ſingulis cujuſvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Inſtituti, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuſcumq; tam Eccleſiaſticis, quàm Secularibus perſonis cujuſcumque ſtatus, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis perpetuum ſilentium impoſuit: Omnes verò Libros, tractatus, theſes, compoſitiones, ſcripta, ex profeſsò, vel incidenter ſub quovis prætextu, & occaſione in lucem editos, vel edita ſuper hujuſmodi materia prohibuit, & pro prohibitis haberi voluit, & mandavit, jiſdemq; perſonis ſupra enumeratis diſtrictè injungit, nè in poſterùm audeant imprimere, vel imprimi facere, ſeu quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, theſes, compoſitiones, & ſcripta de ſupradicta materia tractantes, ſeu tractantia: Et ut hujuſmodi Decretum inviolabiliter ſuper omnibus in eo contentis

tentis obſervetur, præcepit, & declaravit, Contravenientes pœnas privationis Dignitatum, & Officiorum ſuorum, vocis activæ, & paſſivæ, facultatis concionandi, publicè legendi, docendi, & interpretandi ipſo facto, abſquè alia declaratione, incurrere, & aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Succeſſorum ſuorum Romanorum Pontificum arbitrio ſubjacere; Libroſque omnes, tractatus, theſes, compoſitiones, & ſcripta, quos, ſeu quæ contra dicti Decreti tenorem edi contingeret abſque alia declaratione tamquam expreſsè prohibitos, vel prohibita haberi; Et Impreſſores præter amiſſionem Librorum, pecuniariis, aliiſque corporalibus pœnis teneri, præcepit, & mandavit.

Ioſeph Bartolus S. Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

INSTRUCTIO

Pro examine illorum Teſtium, qui inducuntur prò contrahendis Matrimoniis, ex Decreto S. Congr. S. Offic. ſub die 21. Aug. 1670.

IN primis Teſtis moneatur de gravitate juramenti in hoc præſertim negocio pertimeſcendi, in quo Divina ſimul,

ſimul, & humana Majeſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.

2. Interrogetur de Nomine, Cognomine, Patria, ætate, exercitio, & habitatione.

3. An ſit Civis, vel exterus, & quatenus ſit exterus, quanto tempore eſt in loco, in quo Teſtis ipſe deponit.

4. An ad examen acceſſerit ſponte, vel requiſitus; ſi dixerit acceſſiſſe ſponte à nemine requiſitum, dimmittatur, quia præſumitur mendax; ſi verò dixerit acceſſiſſe requiſitum, interrogetur à quo, vel à quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum à contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & à quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si

Digitized by Google

Si reſponderit negativè, Teſtis dimittatur; ſi verò affirmativè.

7. Interrogetur, an contrahere volentes ſint Cives, vel exteri; ſi reſponderit eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipſorum contrahere volentium doceatur de eorum libero ſtatu, de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Civitate, vel Diœceſi. Ad probandum verò eorundem contrahere volentium ſtatum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet uſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur Teſtes idonei, qui legitimè, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem cauſæ eorum ſcientiæ, abſque eo quod teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum Locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si verò reſponderit, contrahere volentes eſſe Cives.

8. Interrogetur, ſub qua Parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

9. Item, an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe Uxorem, vel Maritum, aut profeſſionem feciſſe in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſ-

ſe

ſe aliquem ex Ordinibus Sacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahi Matrimonium.

Si verò Teſtis reſponderit non habuiſſe Uxorem, vel Maritum, neque aliud impedimentum, ut ſuprà.

10. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit Uxorem, vel Maritum, vel aliud impedimentum &c. & quod ipſe Teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmativè, ſuperſedeatur, niſi ex illis Teſtibus probetur concludenter, non habuiſſe Uxorem, vel Maritum, neque ullum aliud impedimentum &c.

Si verò reſponderit negativè.

11. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deindè Judex colligere poterit, an Teſti ſit dandæ fides.

Si reſponderit, contrahere volentes habuiſſe Uxorem, vel Maritum, ſed eſſe mortuos.

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodò ipſe teſtis ſciat fuiſſe Conjuges, & nunc eſſe mortuos. Et ſi reſponderit mortuos fuiſſe in aliquo Hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione

ne

ne Militiæ fuiſſe ſepultos à Militibus, non detur licentia contrahendi, niſi prius recepto teſtimonio authentico à Rectore Hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel à Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel ſi fieri poteſt, à Duce illius Cohortis, in qua deſcriptus erat Miles; ſi tamen hujuſmodi Teſtimonia haberi non poſſunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi poſſunt admitti, dummodò ſint legitimæ, & ſufficientes.

13. Interrogetur, an poſt mortem dicti Conjugis defuncti, aliquis ex prædictis tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negativè.

14. Interrogetur, an eſſe poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo, quod ipſe Teſtis ſciat. Si reſponderit affirmativè ſuperſedeatur licentia, donec producantur Teſtes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si verò negativè.

15. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Judex poterit judicare, an ſit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes ſunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos, & in aliis ſervata for-

ma

Digitized by Google

ma Concilii Tridentini in *cap.* Multi *ſeſſ.* 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, niſi ſint munita ſigillo, & legalitate Epiſcopi Ordinarii, & recognita ſaltem per Teſtes, qui habeant notam manum, & ſigillum, & attentè conſideretur, quod Fides, ſeù Teſtimonia benè, & concludenter identificent perſonas, de quibus agitur.

Prò Teſtibus in hac materia recipiantur magis conſanguinei, quia præſumuntur melius informati, & Cives magis, quàm exteri; nec admittantur homines vagi, & Milites, niſi data cauſa, & maturo conſilio, & Notarius exactè deſcribat perſonam Teſtis, quem ſi cognoſcit, utatur clauſula -- *Mihi benè cognitus*: ſin minus examen non recipiat, niſi cum perſona Teſtis aliqua alia compareat cognita Notario, & quæ atteſtetur de nomine, & cognomine ipſius Teſtis, necnon de idoneitate ejuſdem ad Teſtimonium ferendum, & hujuſmodi examinibus debent intereſſe in Urbe ultrà Notarium Officiales ſpecialiter deputandi ab Eminentiſſimo Vicario, & extrà Urbem vel Vicarius Epiſcopi, vel aliqua alia perſona inſignis, & idonea ſpecialiter ab Epiſcopo de-

Digitized by Google

deputanda ; alias puniatur Notarius arbitrio Sac. Congregationis , & Ordinarius non permittat fieri publicationes .

Ordinarii præcipiant omnibus , & ſingulis Parochis in eorum Diœceſibus exiſtentibus , ut prò Matrimoniis cum exteris contrahendis , non faciant publicationes in eorum Eccleſiis , niſi certiorato Ordinario , à quo , vel ejus Generali Vicario priùs teneantur authenticam reportare , quod pro tali Matrimonio fuerunt examinati Teſtes in eorum Tribunali, qui probant ſtatum liberum contrahere volentium .

Contravenientes autem ſeverè puniantur .

LAUS DEO.

Digitized by Google

INDEX

Conſtitutio Alexandri VII. qua confirmatur Conſtitutio Innocentii X. ſuper prohibitione quinque Propoſitionum Janſenii. pag.3.
Decretum Innocentii XII. ſuper eadem materia. p.11.
28. Propoſitiones damnatæ ab Alexandro Septimo. p.12.
Aliæ 17. Propoſitiones damnatæ ab eodem Pontifice. p.19.
65. Propoſitiones damnatæ ab Innocentio Undecimo. p.23.
Duæ aliæ Propoſitiones damnatæ ab eodem Pontifice. p.36.
Alia Propoſitio damnata ab eodem Pontifice. p.38.
68. Propoſitiones Michaelis de Molinos damnatæ ab eodem Pontifice. p.39.
Propoſitiones ſuper peccato Philoſophico damnatæ ab Alexandro VIII. p.57.
Triginta una Propoſitiones damnatæ ab eodem Pontifice. p.61.
Conſtitutio damnationis libri Epiſcopi Cameracenſis. p.68.
Editto del S. Offizio. p.77.
Bulla Cœnæ Domini. p.84.
Caſus expreſſi, in quibus Immunitas non ſuffragatur. p.114.
Conſtitutio Clementis X. in qua Regulariũ

Pri-

Digitized by Google

Privilegia quoad prædicationē Verbi Dei, & Sacramenti Pœnitentiæ administrationem declarantur. p. 115.
Declaratio Sac. Congr. Conc. à Clem. IX. approbata, ſuper acceſſu Regularium ad Monaſteria Monialium. p. 122.
Dubia ſuper collocutione Regularium, cum Monialibus. p. 124.
Decretum Congreg. Concilii circa Communionem Quotidianam. p. 125.
Modo, che dovranno tenere i Curati per iſtruire i Giovanetti alla Santa Communione. p. 131.
Iſtruzzione per li Confeſſori. p. 138.
Inſtructio Parochorum, & Confeſſariorum pro Caſibus Sacræ Pœnitentiariæ. p. 149.
Decretum de Apocryphis Indulgentiis. p. 154.
Decretum Innocentii XI. pro Altaribus privilegiatis. p. 162.
Decretum ſuper clauſula, ſi aliqua Indulgentia perpetua, vel ad tempus duratura conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint, *quomodo intelligatur.* p. 165.
Confirmatio Decretorum Congr. Conc. ſuper Celebratione Miſſarum, cum approbatione Urbani VIII. p. 169.
Decretum circa tres Miſſas, & Communionem Fidelium in Nocte Nativitatis Domini. & aliud ſimile. p. 208.
Sex Caſus Pontifici Reſervati. p. 113.
Decretum de celebratione Miſſæ Fer. v. in

Cœna

Digitized by Google

Cœna Domini, & repoſitione Sanctiſſimi in Sepulchro. p.209.
Decretum Sac. Congr. Conc. ſuper applicatione Sacrificii à Parochis. p.210.
Decretum Gen. de Reliquiis Inſignibus. p.210.
Decretum Alex. VIII. circa translationem Feſti Annunciationis B.M. & Miſſas privatas in Sabbato Sancto. p.212.
Aliud Decretum ſuper idem. p.213.
Decretum de Feſtivitate S. Ioſephi occurrente in Feria v. Majoris Hebd. p.215.
Decretum de non anticipanda Vigil. S. Matthiæ ratione Carnis privii. p.216.
Decreto del Conc. di Trento contro quelli, che occupano, & uſurpano beni Eccleſiaſtici. p.217.
Compendio della Bolla del B. Pio V. ſopra il modo di creare li Cenſi. p.219.
Sommario della Bolla di Siſto V. ſopra li Contratti illeciti. p.220.
Sommario della Bolla di Pio V. circa l'obligo de' Medici, Parenti, e Famigliari di ammonire l'Infermi di confeſſarſi. p.223.
Lettera della Sac. Congr. de' Veſc. e Reg. ſopra l'Oſſervanza di d. Bolla. p.225.
Mandatum Archiep. Cameracenſis. p.226.
Decretum de Vigilia S. Ioannis Bapt. p.228.
Decretum de Intelligentia iuxta ſenſum, obvium Auguſtini Ianſenii. p.229.
Inſtructio pro examine illorum teſtium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis. p.231.

1007791